14

A



NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
26 D
7

ALOYSII
LA NUZA
VITA.

P. ALOYSIVS LANVZA E SOCIETATE IESV

Obyt Panormi Anno 1656. 21 Octobris Aetatis suæ 65


ALOYSII LA NUZA
E SOCIETATE IESV
VITA.
AVTHORE
P. ANDREA DE PUTEO
EX EADEM SOCIETATE.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
CAROLO
S. R. E. CARDINALI
PIO
DICATA.



N E A P O L I.
Typis BULIFONIANIS CIↃIↃCLXXIX.

Superiorum facultate.



ENINENTISSIMO PRINCIPI

CAROLO

S.R.E. CARDINALI

PIO.



VI dono pium mitto libellum? Cardinali æquè factis, ac cognomento Pio; eum enim quærit sibi libellus Patronum, cujus expertus est Author luculentissimum patrocinium. Tanta enimuerò sunt, Eminentissime Princeps, officia, quibus me devinxisti, an exolvisti? ut ingratissimus omnium omninò vive-

viverem; nisi votivam tabellam, quam semper humeris fero, cunctis ostenderem. Beneficio de se maximo illud non leve pondus addidit, quòd non in immerentem modò, sed etiam in omninò ignotum contulisti; quem enim ne de facie quidem noveras, erexisti jacentem, Solis more aquè fastigia montium, ac depressas valles collustrantis. Erit igitur levidense hoc munus, accepti beneficii, grati animi, perpetuæ observantiæ monumentum ære perennius. Nunc dignitatis tuæ amplissimæ, familiæ nobilissimæ, integerrimæ vitæ decora persequi supersedeo; ne cogam te erubescere plusquam in purpura; neque, dum nuncupatoriam meditor, historiam, ac penè librum ingrediar laudum tuarum; quibus nemo omnium parem unquam afferet stylum, ita ut non indictæ esse videantur. Quamvìs in legendis Aloysii virtutibus multa etiam Tibi sit memoria occursura virtutum tuarum; quarum nec numerus obstrepit

strepit magnitudini; nec numero magnitudo. Ut ad augendam dignitatem tuam nihil omninò jam superſit, niſi ut tanta demum virtus, quod publicum jam omnium votum eſt, in Vicario Divinitatis ſolio aliquando conſiſtat. Illuceſcet ſanè, Princeps Eminentiſſime, dies, cũ orbis lætitia ſua minor, ad tuos pedes pronus accidet. Tunc profectò ſentiet Aloyſius feliciorem patrocinii tui umbram ne, an Lucem? cum, plaudente terrarum orbe univerſo, reddes Aloyſio Apotheoſim pro Patrocinio. Ita voveo

Eminentiæ Tuæ

Addictiſſimus, atque Obſequentiſſimus ſervus

Andreas de Puteo.

AMICO LECTORI
AVTHOR.

SVPER Operis hujus instituto,consilioque,quid sentire,Lector amicissime,debeas,commodiùs non potes, quàm ex ipsa scribendi ratione intelligere. Ingressus nono ab hinc anno Siciliam,lustransque de more Provinciam, vix Saccam Oppidū, Aquis Selinuntiis, & Divi Caloceri præsertim celebre Thermis, attigeram; cùm quidam Collegii ejus Sacerdos defert ad me icunculam P. Aloysii La Nuza, à qua illum referri affirmat in pauceis;nec non patrata prodigia: Et hæc, inquit, tua est. Nam eam Rector, qui diem extremum paucis ab hinc mensibus hìc clausit, tibi legavit. Accepi in manus, exosculatus sum, veneratusque, & semper mecum habui; & cum sederem scribens, aut legens, etiam in cospectu. Notus erat mihi Vir Dei, dum Neapoli degerem, Sanctimoniȩ fama, sed vel languida,vel confusa; qualis esse solet audientium, vel videntium è longinquo: verùm cum ejus præclarissima gesta, virtutes eximias, miracula frequentissima creberrimis viderem usurpari sermonibus; cum audirem singula; cum oculatos testes exciperem; videremque ferè omnium omnes, non sine animi sensu,de eo esse sermones; in ejus studium vehementer exarsi;addidique currentibus stimulos,ut ejus vitam quàm celerrimè scriberent, ederentque in lucem,ad omnes Provincias, maxima earum voluptate, compendioque transmittendam. Eadem omnium mens erat, idem votum, idem conatus, exitus tamen nullus; & post annos multos, laboresque

non-

nonnullius non pœnitendos, vix lapides, & coementa ad operosam ædem extruendam erant in promptu. Tunc enim verò mecum tacitus dolui, quòd adhuc alios annos vir ille sanctissimus latitaturus esset in tumulo; & nescio quo œstro percitus, operi manum admovi; cumque viderem uberiùs, si unquam fluere calamum, & intra biduum fusum ab illo, quod ab eodem vix intra bimensem ingenii mei tenuitas, vel sterilitas impetrasset; mecum reputavi, hoc voluisse donum illud posthumum, inexpectatum, ignoti ad ignotum, qui se nunquam vidissent: scilicet homo Dei icuncula illa meum oppignerans calamum, hoc à me quantulumcumque expectabat obsequium: perrexi, semper obsequentiorem expertus calamum: intra duos menses opellam absolui. Hæc suscepti operis occasio; hæc ratio festinati per subsecivas horas laboris. Verùm præfervidum illum impetum, & celeritatem scribendi, injecta mihi alia mente, cohibui; ne in vulgus ederem quæ tam citò scripsissem: officio scilicet, ac rationi congruentius duxi; si scriptionem usque eò premerem, dum eadem felix Regio, quæ Aloysio gloriatur suo, ejusdem etiam vitam jure suo prius Luci donaret. Prodiit nuper nunc Italicè Aloysii vita, à suis Siculis adeò benè fusèque scripta; ut supervacaneus meus hic labor videri jam possit nisi Heros ille; pluribus linguis commendandus, ad plures Provincias ea possit permeare lingua, quæ trans montes ferat, qui consuetos virtutum terminos prætergressus præclarissima edidit semper facinora. Aloysium scripsi Aloysii Sociis; illis quod ipso authore feci gratissimum fore non dubito; meque omne pretium operæ cumulatissimè tulisse arbitror; si Aloysii virtutes non suspicere modò, verùm etiam imitari studiosè pro se quisque contendant.

Carolus Paladinus Præpositus Provincialis Societatis Iesu in Regno Neapolitano.

CVM Vitam P. Aloysii La Nuza è Societate Iesu, à P. Andrea de Puteo ex eadem Societate Latinè scriptam aliquot è Societate recognoverint; & in lucem edi posse probaverint: nos potestate nobis facta à R.P.N. Io: Paulo Oliva Præposito Generali, facultatem concedimus ut Typis mandetur; si ita iis, ad quos librorum approbatio spectat, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli die 4. Mensis Ianuarii 1679.

Carolus Paladinus.

Locus † Sigilli.

In

In Congregatione habitá Coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano,ſub die IX. Martii MDCLXXIX. fuit dictum,quòd R. P. D. Thomas Caracciolus Caſinenſis videat, & in ſcriptis referat eidem Congregationi.

F. Scanegata Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſ. Theol. Emin.

EMINENTISSIME DOMINE.

Librum inſcriptum: *Vita P. Aloyſii La Nuzà S.I. authore R. P. Andrea de Puteo ex eadem Societate* ex commiſſione E. V. à me accuratè reviſum, utpote probitati, ac rectæ Fidei conformem, imò pietatem undique redolentem ad fidelium ædificationem Typis dignum cenſeo. Dat. in Monaſterio SS. Severini, & Soſſii die VIII. Martii MDCLXXIX.

D. Thomas Caracciolus Caſ. Dep. ac S. Off. Conſul.

In Congregatione habita coram Eminentiſsimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub X. Aprilis MDCLXXIX. fuit dictum, quòd ſtante ſupradicta Relatione Imprimatur.

Steph. Menatius Vic. Gen.

Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Emin.

EC

Il P. Andrea da Pozzo della Compagnia di GIESV espone à V. E. come desidera fare stampare *La Vita del P. La Nuza*: perciò supplica V.E. commettere la Revisione di essa à chi le parerà, e l'haverà à gratia, ut Deus.

R. P. Hieronymus Gavitellus videat, & inscriptis referat.

Galeota Reg. Carrillus Reg. Valero Reg. Calà Reg.

Provisum per S. E. Neap. die 24. mensis Octobris 1678.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

Vitam P. Aloysii La Nuza è Societate Iesu ab Admodum R. P. Andrea de Puteo affabrè conscriptam vidi, legi, probavi. Nihil continetur in ea, quod Regiæ Iurisdictioni, integerrimis moribus, ac sanctis Augustissimæ Fidei Placitis adversetur. Quin Christianæ etiam Reipub. non parum arbitror profuturam; cum tanti Præclari Auctoris Stylus ingens sit stimulus ad Pietatem. Proinde censeo eiusmodi Vitam esse Typis, ac luce dignissimam.

P. Hieronymus Gavitellus è Societate Iesu.

Visa supradicta relatione imprimatur; & in publicatione servetur Reg. Prag.


Galeota Reg. Carrillus Reg. Valero Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Provisum per S. E. Neap. die 8. Martii 1679.

Mastellonus.

PROTESTATIO
AVCTORIS.


CVM Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Papa Octavus die decima tertia Martii anno MDCXXV.in Sacra Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis Decretum ediderit; idemque confirmaverit die quinta Iulii anno MDCXXXIV. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes,seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes; & hactenus impressos nullo modo vult censeri approbatos. Idem autem Sanctissimus die quinta Iunii MDCXXXI. ità explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione, quòd jis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantia, & reverentia, qua par est,insistendo;in ipso historiæ aditu profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero,accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nititur: jis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.



LIBER PRIMUS.

CAPVT I.

Aloysii natalis, & pueritia.



LOYSIVS LA NVZA; cujus gestorum epitomē scribere aggredior, virtutum numeris omnibus exemplar absolutissimum; Innocentia Angelus, Ministerio Apostolus, Prodigiis Thaumaturgus, natus est Alicatæ in Vrbe meridionali Siciliæ; cui honestandæ præ-

ter alias naturæ dotes; acceſſere ſacra Angeli Carmelitæ lipſana; ut feliciſſima Vrbs, quæ unius fuerat Angeli hoſpita, eſſet & alterius Angeli patria. Editus eſt Felix puer in lucem anno ſalutis MDXCI. quo ſcilicet anno alter Aloyſius Gonzaga evolavit ad ſuperos: vera tunc fabula: *Vno avulſo, non deficit alter aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo*. Vterque Aloysius, uterque clariſſimus genere; ut enim Gonzaga familia per ſe nota ſatis eſt; ſic ad Lanuzæi generis commendationem innuiſſe ſit ſatis, Ioannem La Nuza Aloysii Patrem, Nepotem fuiſſe celeberrimi illius Ioannis, à quo & nomen duxit, qui per annos undecim prò Philippo primo Rege Siciliæ præfuit; uterque Societati Iesv nomen dedit; hoc uno inter ſe diſſimiles, quod alter penè adoleſcens occubuit; alter natu grandis, oſtendit, quò in animorum ſalute procuranda evaſurus fuiſſet, ſi vitam produxiſſet Gonzaga Aloysius. Suſceptum ex Le-

andra

andra Spina, quæ ante Francifco Figueroa nupferat, ALOYSIUM Ioannes parens militum more, nufquam confiftentium, fed quò neceffitas, juffa, fpes, gloria vocat, accurrentium, fecum afportavit in Hifpanias è lacte recentem. Adolefcenti jam fenfim ALOYSIO fedulus parens idoneum morum, primæque literaturę magiftrum adlegit, cujus induftrię, & laboribus, fupra fpem præceptoris, refpondebat ALOYSIUS: nec fine Numinis providentia factum eft, ut unus ex honorariis famulis ei ætate fuppar, etiamnum fuperftes, prodiderit quæ in illo Hifpanienfi receffu gefferit adolefcens. Is miratus primùm egregiam La Nuzæ indolem, maturamque virtutem, poft etiã imitatus, facro Difcalceatorum Auguftinianorum cætui nomen dedit; teftifque locupletiffimus affirmavit, ALOYSIUM innocentiam, quam è facro Fonte haufer at, intactam, illibatamq; fervaffe. Ejus ludi, altariola extruere, concionato-

res imitari, sacros ritus inter pueros inducere; et, indole supra ætatem matura, pios libellos volutare, divinas laudes percurrere, amare recessum, egenis opem ferre, vitare compita, strepitum, atque frequentiam, & quod mirere magis; quodlibet verbum non modò ad prudentiæ trutinam; sed etiam ad pietatis lances expendere, toto denique corpore sanctimoniam præferre.

His ditabat exemplis Aloysius Cæsaraugustam, quam Tarraconensis Regni facilè Principem majores ejus, præclarissimè gestis; & exercendæ justitiæ perpetuò ejus familiæ munere attributo reddiderant clariorem; cum Ioannes Parens invitatu Ducis Feriæ in Siciliam proficiscentis, coactus est Proregem sequi cum filio. Non minus veteris amici contubernio, quam ejus filii indole delectatus est Princeps; utrumque ad mensam adhibens. Vbi Panormum attigit, collata in Ioannem Parentem pedestris militiæ præ-

fectura, voluit videre Aloysium Parentis signa sequutum in statione militum; quem expertus in itinere fuerat Eremicolam. Nec defuit his etiam partibus delicatulus miles: videre erat illum militari cultu sub signis incedentem inter æquales onustum sclopo, ense præcinctum, insignem baltheo, pinnis, cristisque superbum, omnia munera sic obire, ut veteranum aliquem militem crederes, si militaris accessisset licentia, qua jampridem ablegata, etiamnum in castris novus miles; *Permanebat in innocentia sua*. Quo spectaculo, tum Panormitani Proceres, tum ipse Prorex mirificè recreabantur. His scilicet crepundiis sanctiori præludebat militiæ Aloysius; quem jam inde ex egregiis ducibus unum per Ignatii Lojolæ vestigia sibi destinaverat Deus.

Divinæ menti jam tum sibi Aloysium adoptanti, Ioannes Parens nescius serviebat; nam seu ratus militem non dede-

cere

çere literas, seu sperans filium eò perventurum calamo, quò se ipse gladio sustulisset, nactus egregium virum Petrum Gravinam, quem à Præsule Panormitano impetravit, extractum è Seminario, præceptorem literarum, eundemque morum magistrum dedit Aloysio, undecimum jam annum agenti; quem deinde è Magistro comes, sequutus est in Societatem. Par hoc cum Sicilia quãta quãta est, quę certè maxima est, minimè caperet, retento in Insula Aloysio, in novas Hispanias Gravinam in salutem gentium ablegavit. Eò præceptore divinis commentationibus animum exercebat; frequens obibat sacra Templa; divinisque mysteriis, ea animi delectatione delibutus, intererat; ut lacrymas tenere non posset, quas uberius quàm par erat manantes, nec sine oculorum periculo (quod & S. Ignatio ejus parenti contigerat) P. Hortentius Scammacca, qui ei erat à confessionibus vix cohibuit,

hibuit, vetans, ne preces ultra quadrantem extenderet ad clepsydram lacrymarum; jubensque ut, exceptis sanctioribus quibusdã diebus, quibus uberiorem fletum indulgebat, siccas cæterùm preces effunderet.

DEDOLATUS privatis Scholis, publicis est traditus Societatis nostræ gymnasiis. Deducebat, reducebatque Ephebum suũ Gravina, veritus ne quantum scholarum frequentia addebatur literaturæ, tantundem virtuti detraheretur. Diei primitiæ Deo dabantur; primas preces domesticum studium excipiebat; appetente, prælectionum tempore, aditus in lyceum erat per Templum, ubi adorato Numine, petebat secundùm virtutes, ab illo totius scientiæ fonte, etiam profectum in literis; ingredientem in scholam armabat oratio; egredientem divini sacrificii muniebat aspectus; &, ne iter ipsum pietate fraudaretur, aut studio; vel colloquendo de divinis rebus, vel particulis Tursellini lectitandis, conficiebatur:

idem

idem omnino poſt prandium ordo ; niſi quod orationi è ſtrato ſurgentis reſpondebat euntis cubitum conſcientiæ , latebrarumque animi ſui exploratio . Hoc vivendi modo , gliſcente paſſim Gonzagæ Beatis recens adſcripti recordatione , B. Aloysii ſibi nomen conciliavit , cujus & lectitabat attentiſſimè geſta , & adeò exquiſitè mores imitabatur , ut rogatus interdum , cur hoc , vel illo modo ſe gereret? ſyncerè reſponderit: Quia eodem ſe ſuus geſſerat Gonzaga Aloyſius . Tanta in adoleſcente virtutum , ſtudiique contentio vividos illos ſpiritus , amænamq; indolem aliquantum contuderat ; Hinc illę Parentis non penitus rem introſpicientis , querelæ : Velle ſe filium doctum , cultumque virtutibus ; ſed equitem , ſed aulicum, ſed eum, qui meminiſſet ſe militis filium, ejuſque, & animi, & ſtipendiorũ hæredẽ; qui equitũ in morem, relaxaret ex intervallo animũ luderet cum æqualibus, exerceret ſe venatione,equitando ,

do, miſceret demum ludicra ſeriis, ſi ab his ſe nollet omninò abſtrahi. Territus eſt primò his dictis puer; mox Deo authore, didicit, poſſe parentem facilè flecti, poſſe etiam piè falli, & lucri loco habere dare aliquid, ut totum auferret, dare plenam manum, modò ſibi cor integrum traderet. Paruit monenti Deo, & appetente tempore, quo Pater domum ſe ab obſequiis Proregis recipiebat, piè ingenioſus puer ſumptis gladiis hebetibus adeò impigrè, adeò alacriter conſerebat manus, & ſtrenuè, ut non exercere cum laniſta gladiatoriam in umbra, ſed cum hoſte digladiari videretur in campo, incredibili voluptate Parentis; qui videret filium adeò equeſtribus muniis aptum, adeòque ſuis nutibus obſequentem.

Nec à piis hiſce dolis abſtinuit abſente patre; à quo profecto cum Prorege Meſſanam pretioſas veſtes accepit, quò feſtivis reſurgentis Domini feriis cultior ap-

pareret. Adolescens, seu ut Patri quàm citissimè gratificaretur, seu quod sequuturum inde erat persentisceret, seu quid animo aliud volueret, certè præter morem (assuetus enim erat neglecto cultu incedere semper, & tritas, lacerasque affectare vestes, & quando aliud non esset integrum, pallium, quò derideretur, præposterè induere) tunc holosericarum vestium cultum auxit torque aureo, aliisque munditiis exquisitis, quà muliebribus, quà militaribus; in eumque modum ornatus, sacra patientis Christi hebdomada scholarum ingressus est atrium. Dum eum spissa circumstat juventus, mirata, collaudansque incuriosi antehac adolescentis cultissimum apparatum; ecce tibi quidam è nostris disciplinæ severioris sese inferens in coronam, Aloysiumque rectà petens: Heus tu, inquit, adolescens comptule, sic parentatur extincto Deo? non hæc ista sibi tempus spectacula poscit; quid cristis auro revinctis,

ctis, gemmiſque diſtinctis, cum corona Servatoris ſpinea? Quid aureo tuo torqui cum vinculis, cateniſque ferreis, quibus & adſtrictus, & verberatus eſt indigniſſimè noſter Amor? Si ſapis, pone lacinias, ſume lacernam, & pro aureo torque reſtem alliis contextam in collum injice, ſicque ornatus redi in Theatrum. Dictum, factum; remeat Aloysius domum, poſitoque monili, torquem alliarem collo circundat; eoque habitu redit in atrium. Auctor facti, ſtupeſcentibus omnibus, & ipſe miratus tantam ſui in Adoleſcente victoriam, detracto è collo torque ridiculo, cæpit dicere ad alios dè Aloysio; qui tam egregio facinore viam ſibi ad Societatem munivit, quæ candidatos ſuos hujuſmodi probare conſuevit experimentis; ut alumni ſui *Extra Mundi caſtra exeant, improperium Crucis portantes*; Quod quo pacto contigerit, referendum eſt in præſenti.

CAPVT. II.

Quis fuerit Aloysius cum Societatis ageret Candidatum.



IX annum quartum suprà decimum attigerat Aloysius, cum Parente optimo, & amantissimo orbatus est: accessit ad cumulum doloris Præceptoris profectio in Hispanias, quas vocant Indicas: gemino hoc ictus acerbissimo vulnere, & destitutus præsidio, totum se credidit Deo. Hactenus dè illo memorata, idea maturæ sanctitatis videri posset ulteriora ignoranti; inquirenti in illa, crepundia appareant necesse est. Lethale vulnus ex acerba Patris jactura acceptum illud unum lenire potuit, quòd exinde sui juris, hoc est divini, facto satis esset, si sua vitæ ratio uni Deo constaret,

ret, quam, eo vivente, necesſè erat cum multis eſſe diviſam. In poſterum victus, veſtitus, inceſſus, ſtudia, mores, animus, modò uni arriderent DEO, nihil eſſe cur de jis alienum ingeniũ, atq; arbitriũ moraretur. Igitur relictus ſibi ALOYSIUS, eam vivendi rationem iniit, quæ vel eſſet præludium ad vitam in clauſtris traducendam, quò ſibi à DEO revocari videbatur; vel ſi id non aſſequeretur, poſſet cum eo vivendi genere decertare. Iuſſis res ſuas habere terrenis omnibus; clam, quoad ejus fieri poterat, P. Petro Villa-fratres, qui ſodalitium Parthenicum Adoleſcentium regebat, ſub Deiparæ ſine labe conceptę nomine in Panormitano Societatis IESV Collegio, ſe præbuit excolendum. Ad primas dè brevitate vitæ, dè gravitate peccatorum, eorumque acerrimis, ad lancinandam ſub exitum vitæ conſcientiam, morſibus, commentationes; quas ſuæ converſionis initium perbellè vocabat, ſe ſe contulit ALOYSIUS; ex inde pre-

preces antè aram maximam prolixæ, attentæ, adeòque ignitæ, ut Eucharisticæ dapis Angelus diceretur à multis; & in Templo quidem veritus plausum; adducebat habenas, quas domi laxabat, ea animi contensione, ut corpus etiam sursum ferri videretur: visus est enim sibi non nemo videre eum dè terra sublimem; sed veritus oculorum præstigias, ratus minimè in puerum illum sanctimoniæ coronidem cadere, qua maximos quosque Sanctorum Deus cohonestat; atque etiam num subdubitans, suspenso gradu, suppressòque quantum poterat spiritu, accedens propiùs, facturus rei periculum, interjecta manu orantis inter poplites, subjectamque humum, dimensus est quantum Aloysius emineret à terra; hæsitque non sine sensu lætitiæ attonitus prodigio.

Verum longè altius quàm è terra corpus, ejus animum à terrenis omnibus

Deus

Deus abstraxerat. Quin etiam à corpore ità abduxerat, ut qui ejus moderabatur conscientiam, ejus valetudini, vitæque consulens, ne ultra horam orando perseveraret, interdixerit: paruit obsequentissimus Adolescens, ità ut hora transacta non surgere, sed divellere fixa humi genua videretur; mirum erat idem corpus, quod anteà consueverat se tollere spontè humo avium more, modò ità hærere, ac si esset clavus adactus malleo: & quoniam inaudierat, *Bonam esse orationem cum jejunio*; pares illi corporis afflictationes adjungebat asperrimas; mira, quæ illi cum aliis fuere communia, crebra jejunia, vestes cilicinæ, innocentium artuum sævissimæ verberationes; levia etiam illa, licet nova, micas panis, mensæ analecta, ingerere humeris; ut levissimorum corpusculorum attritu affligeretur incedens, & non modò *Vesceretur in sudore vultus sui* pane

pane suo, verum etiam illum in dolore portaret; refertos calculis, & lapillis induere calceos, in quo ducem cognominem suum Aloysium habuit. Illud suprà vires, suprà ætatem, & penè suprà fidem, quod labiis humi fixis, & terra, ne mente, atque ore excideret, mordicùs apprehensa, tam longas ducebat moras, ut computrescerent dentes, atque deciderēt; in quo Franciscum Borgiam veteranum illum militem plurium palmarum; Tyrunculus ipse felici ausu, parique exitu est æmulatus.

Ad retundendum animum, ab afflicto jam, compressoque corpusculo gradum faciens, orabat enixè Præceptorem, quem sibi ingenii præstantia, morumque suavitate devinxerat, ut se coram aliis verbis acerbiùs habitum flocci faceret, & tanquam alicujus criminis reum, verbis increpitum, verberibus afficeret; quòd cum non impetraret, ut erat ingeniosus in pœnis suis, scriptionem alio-

qui

qui optimam, tot lituris, maculis, atramentique defluviis conſpurcatam ferebat; ut vel ab invito præceptore reprehenſiones extorqueret, & verbera.

His paſſibus, quibus in aliorum contemptum, atque ludibrium venire ſe poſſe arbitrabatur, eò evaſit exiſtimationis, & admirationis, ut eum æquales ſui venerarentur; majores natu mirarētur, atque ſuſpicerent, imitarentur aliqui, omnes prædicarent, ſeque eo pręſente ad modeſtiam, pietatemque componerent; ſi qui fortè pręter modeſtiam ſermo verſaretur in ore, quod adoleſcentes adveniente præceptore faciunt, extemplo abrumperent! His etiam gradibus ſibi ad Societatem viam aperuit, & munivit; cujus capeſſendæ tanto flagrābat ardore, qua acquiſita tanta perfundebatur lætitia; ut id tantum loqui, id ſapere videretur, id exquiſitiſſimo titulo appellaret Cumulum gratiatum; dicebatque in eam ut admitteretur ſe multis lacrymis impetraſſe; in

eadem ut moreretur, assiduis precibus impetraturum; dè ea tam ardenter loquebatur, ut alios ad eam impelleret. Ipse verò ad IESUM ejus ducem, Deiparamque Patronam accurrit; quorum tanto æstuabat ardore, ut utriusque iconem pectori semper ferret applicitam, dexteræ quidem parti Filium, sinistræ Parentem: usurpabatque illud Augustini: *Hinc lactor ab ubere, hinc pascor à vulnere*; Et par illud nobile gaudebat cum Sponsa, inter ubera sua commorari, non tamen velut myrrhæ, sed beneolentissimorum florum fasciculum. Et licèt intèr utrumque curas, amoremque divideret; nescio quo tamen pacto magis rapi videbatur à Virgine, veritus fortasse ad Iudicem sine advocata accedere. Hinc est, ut rogatus, cur caput ad lævam inclinatum semper ferret? responderit, ut propius ad amantissimam parentem exosculandam accederet.

INTER

Inter tot pietatis officia, literarum ſtudia minimè negligebat; & politioris literaturæ, cui per biennium navavit operam, ſpecimen dedit egregium; cum dè patientis Chriſti tormentis tam aptè, tam concinnè, tam ardentèr dixit in Patrum corona; ut in orationis calce ad Chriſti dè Cruce pendentis imaginem, quam ſiniſtra tenebat, verſus, cauſam ſuam obortis uberrimis lacrymis peroraverit: cum ergo, Religioſorum vitam Aſcetæ veteres cætum Crucifixorum nuncupent; rectè partes ſuas cum Crucifixo, idoneo ſcilicet judice egit.

Verùm ante quàm Societatem iniret; ne ſine ſpoliis ad prædatricem animorum accederet; honorarium illum Ephebum, quem ſuperiùs commemoravimus hiſpanicæ profectionis comitem, ex honeſtæ vitæ digreſſum tramite, duriùs objurgatum, ad meliorem frugem redegit; eoque in diſcalceatorum Auguſtinianorum cætum præmiſſo, futuro

ſuæ Sanctimoniæ teſte ; ipſe ad Societatem Ieſu acceſſit ; ut Deo vocanti pareret ; ſuamque , à fluxis rebus procul , animam in tuta ſtatione collocaret .



CA-

C A P V T. III.

Aloysii Ingressus in Societatem Iesu.


VODEVICESIMVM jam agebat annum Aloysius; cum non longiùs cunctandum, ratus, atque in rem conferendum quod diu animo concoxerat; P. Iacobum Domenici Siculæ Provinciæ Præpositum accedit. Huic omnem mentem, desideriique summam denudat: qui maturæ deliberationis auditis, ac pensatis rationibus; non animum dumtaxat, sed totum Aloysium approbavit; eumque inter Iesu Socios, non sine omnium consensu adlegit. Quare in celeberrimum Messanæ Tyronicium, decimoquarto Kal. Martias MDCIX. à P. Hieronymo Lombardo tunc temporis cætus præside excipi-

cipitur; ut ibi futuræ Sanctitatis ponat fundamenta; ubi locus ipse; cui non sine Divino consilio Tyroni nomen; in confinio, atque editiori urbis parte positus, & ab urbis frequentia seiunctus, nescio quid cælestibus sedibus simile spirare videtur.

In ea igitur Sanctimoniæ officina, nihil difficile, nihil novum, nihil adeò asperum reperit Aloysius, quod antea domi suæ non tentasset uberiùs. Quamobrem quem contemptus sui, corporisque afflictationum nunquam saturum vidimus; eundem Sanctioris vitæ viam insistentem, cruciatuum omnium helluonem fuisse, omnes ejus socii, præsertim verò Magister affirmat. Et quidem quæ dè Loricatis, & Susonibus, non sine horroris admiratione prædicantur, exhausisset omnia, siquis ea illi largiùs propinasset. Verùm sapiens Tironum institutor delicato adolescentulo, & in hujus-modi lanienas

plus

plus justo, dum sui juris esset, effuso, contrahendas omninò duxit habenas; quare victus illi lautior, somnus largior, labores mitissimi, cruciatus, qui corpus vellicarent potius, quàm aut læderent, aut ferirent. Brevi tamen totum illud præfervidum ingenium, totus ille naturæ vigor ità elanguit, ut qui eum tunc primò nosset, bardum crederet, & è lethali morbo recentem. Hærere lingua, nec aptè, expeditèque profari, fluctuare vestigia, & tam parum sibi corpore, animoque esse præsentem, ut remittendus videretur ad suos. Quod ab jis notatum velim, qui satis validum collum ad religiosum jugum ferendum, afferre se putant, si voluntariis illud macerationibus antè subegerint, quos deinde in medio videmus cursu deficere. Scilicet libertas adeò valente est stomacho, ut cætera omnia concoquat, pratèr servitutem. Hæc una est, quæ sensim, & sine sensu vires debilitat, & vitæ ner-

vos succidit. Hæsitque diù lateri ejus hæc lethalis arundo, qua magis, quàm à morbo cruciabatur, metus ingens scilicet, ne à Societate dimitteretur velut ineptus.

Iamque conclamatum erat dè Aloysio; & parum abfuit, quin futurus ille ductor populorum extingueretur in cunis; nisi periculo maximis remediis; ac tempestivis fuisset occursum. Sed ex uno morbo recens Aloysius, incidit in alterum longè pejorem, præ quo mors illi jucunda fuisset, & salutaris. Fuit scrupulorum molestia, qua qui eam passus est, sanctè affirmat nequiorem excogitari non posse. Verum, ut Ignatium ejus parentem, ita & Aloysium per æstus, fluctusque sollicitudinum per conscientiæ stimulos conscietiarum arbitrum Deus concinnabat egregium.

Digressus è Tyrocinio ad studia literarum, locum tantum, librosque mutavit, eadem omninò vivendi ratione retenta, eòque aucta, quòd antea solis con-

conſpecta parietibus, mox utilis iis omnibus, qui eam aſpicerent. Modeſtia eadẽ, qua apud ſcholaſticos B. Aloyſii Gonzagę nomen ſibi vendicabat, idem in ſervandis minimis qubuſque legibus rigor, atque conſtantia, idem conatus ad virtutem, eadem omnino omnia cum acceſſione tamen eorum, quæ facultates rectè, ritèque perceptæ conciliant. Hinc tantus in domeſticis ad menſam concionibus ardor, & ad commovendos animos aptitudo; ut conſtans fuerit prudentium ſenſus; ſi ſingulis quibuſque menſibus ad noſtros diceret inter cænandũ Aloysius, ſatis id, ſuperque fore ad maxima quęque Collegia in officio, & ſanctimonia retinenda. Nec minor vis in privatis colloquiis, & in publicis reprehenſionibus, quarum eſt in Societate frequentiſſimus uſus: in quo genere unum tantum, quod Divinum quid admiſcet, aperiam.

Sua quidem errata ſcripſerat, & petierat à Rectore ea ad ſui ſpiritus profe-

ctum publicè legi; quem morem à primis usque Societatis temporibus habemus invectum ab Ignatio. Demandat is duram eam Provinciam Aloysio, qui alacriori animo eorum scriptor esse malit, quàm lector. Invitus paret Aloysius; Vbi legit, expenditque, illud adjecit: Incumbe frater carissime in emendationem toto pectore; aliter enim abscondit se Devs, & *Exivit dè Templo*. Quibus auditis, mussitare omnes, secumque contrariis pugnare momentis. Ex una enim parte nihil in eo apparere, in quem infaustum illud omen cadere videretur, ex altera verò non ex nihilo verbum illud Aloysio, fausti potius semper ominis aliti, & omnia ex se ipso in melius interpretanti excidisse. Verum omini respondit eventus; nam miserculus ille deficiens intra paucos menses, abscondente se Deo, suosque radios subtrahente, exivit dè Templo. Præproperum videri possit, prophetiæ donum
in

in adoleſcentem collatum; non contemplanti in Aloysio quoddam virtutis ſenium; ut optimè ſapiens: *Senectus eſt venerabilis, non annorum numero computata; cani autem ſunt ſenſus hominis*; id fiet planum enumeratis paucis, iiſque honorificentiſſimis maximorum hominum dè Aloysio etiam num adoleſcente judiciis. Qui ejus regebat conſcientiam, omneſque animi fibras, ipſo ducente, ſeſeque penitiſſimè denudante, luſtraverat, disertè affirmavit: Aloysium La Nuza ad perfectionem velis, remiſque contendere, licèt reflante ſẽper vento: Cui alter vir Sanctiſſimus concinẽs affirmavit: Aloysium ire funditùs dejectum honorem ſuum, ſeque in hominum exiſtimatione omninò perditum. Adeò in ſeſe deprimendo aſſiduus erat, & ſedulus, idque tanta ſagacitate præſtabat, ut pleroſque fefelliſſet, niſi ejus famæ conſulens Deus; cui ille gratificaturus eam dilapidabat; mon-

ſtra vertiſſet in bonum, & per eadem, quę ſibi impingebat probra affabrè admodum concinnata, tantum illi exiſtimationis apud domeſticos, & auctoritatis conciliaſſet; ut omnibus venerationi eſſet, omnes ejus verba ſitientes biberent, adnotarent, interpretarentur; putantes, oraculorum more, plus ea in receſſu claudere, quàm in fronte portenderent.

HINC etiam tanta in ejus ſanctimonia ſpes; ut, ejus precibus nihil denegandum à DEO arbitrati, ad eas in rebus deſperatis confugerent. Id quod Drepano cum ſuis Collegis iter facienti contigit: nam dum concubia nocte per prærupta errarent ignari viarum devii, dubiique qua arte, aut viam invenirent, aut territos equos regerent, ALOYSII ſe precibus commendarunt; quo dicto velut Angelo viæ duce implorato, regiam ſe injiſſe viam, & terminum jam tenere ſentientes, ALOYSIO gratias læti omnes egerunt. In quo gene-

genere essent dè Aloysio multa dicenda: fuit enim illi familiaris, & frequens nimis ex vero prædictio, & prodigiorum patratio, dè quibus erit suus dicendi locus: hic in eorum gustum, præcoces tantum fructus attigimus: Cujusmodi est etiam illud cum pueros doceret; eorum cum quemdam plus justo procacem, indocilemque videret, ait: præclarè cum illo actum iri, si eum Devs è vivis ea tempestate tolleret. Brevi sublatus est, & festinata ejus mors ad æternam vitam comparandam Aloysii precibus fuit adscripta: orabat enim quotidiè prò singulis, omnesque descriptos habebat, in suasque distributos classes; ut quò quenque destinaret, exploratiùs haberet, & semper ferè præ manibus. Hinc ejus Lyceum religiosorum cætuum, præsertim Societatis seminarium fuit. Nec minore cura, & solicitudine profectum in literis exigebat; nullus sine linea quadrans;

drans; momentum nullum, quod non prælegendo, dictando, audiendo, arguendo, acuendo, corrigendo transigeret, si postremam pomeridianam Saturni semihoram demas, quam dicendo dè Deipara ad auditores suos suavissimè insumebat, fructu non pœnitendo.

Is fuit ALOYSIUS LA NUZA Adolescens, Iuvenis, Scholasticus, Ludimagister: rudi penicillo expressus; rejectis in alium locum multis; quæ hìc etiam dicenda fuisset; cujusmodi illud est, quod cum Iunioribus nostris præesset Scholasticis, ex ejus ore extorserunt: imminere scilicet ab irato Numine grande supplicium; eoque fore ut plerique omnes vexarentur; quod paulo post funestum in modum contigit, sequuta lue, quæ grassata ferociùs, universam propè Siciliam depasta est. Expiscandi autem oraculi ea fuit occasio, cum sese in triclinio, quod sæpius faciebat, acriùs objurgaret,

inter

inter cætera, Deo ſic volente, illud excidit: eò ſeſe evaſiſſe ſuperbiæ pleniſſimum ſuæ gloriæ animal, ut ſemel ſibi viſa eſſet Chriſti è Cruce pendentis effigies loquuta diſertiſſimè; quo audito, conſtans fuit omnium ſententia, illum cum Deo familiariſſimè loqui, adactumque ab eo neſcientem, miſericordias in ſe Domini cantare, dum ſibi convicia caneret.



CA-

CAPUT IV.

Aloysius La Nuza Concionator evangelicus.



ACTENVS, & si magna illa in se, & in aliis admiranda, in Aloysio tamen crepundia tantùm sanctitatis adumbravimus; utinam gestis ejus par responderet oratio; haberent profectò exteræ nationes, haberent posteri absolutissimum Heroem, veteris Sanctimoniæ specimen, iisdem depictum coloribus, quibus in universa nunc efflorescit Sicilia in oculis, in ore, in aure, in cultu, in effusissima commendatione, tam liquidis ex ejus recordatione voluptatibus haustis, ut huc accedentes, operæ pretium se fecisse existiment, si quo loco fuerit in florentissimo hoc regno Aloysius oculis hauriant.

Equi-

Equidem, non majore loco fuisse crediderim in Neapolitano Regno Realinum, hìc Colnagum, in Hispaniis Alvarez Balthassarem, & Ludovicum de Ponte, & in Indiis Anchietam, atque Berzeum: Verum habent id sanctorum gesta, quod corpora; utrorumque enim idem veluti fatum est, ut quemadmodum ex corporibus vix ossa supersunt ad venerationem populorum, absumpto sanguine, carne, visceribus, & tenerioribus partibus; sic ex eorundem gestis, pleraque excidant, relictis ad venerationem, æmulationemque jis tantum, quæ eminent, solidissimis; rursumque ut frustulis eorum contenti, grandia ossa non quærimus; ità quales quales Aloysii reliquiæ à me ex oblivionis subductæ tumulo, reponendæ sunt in Thesauro; donec ejusdem gesta altiùs effodiantur, & in melioris scriptionis lumine collocentur.

Igitur Aloysius è profanæ literaturæ,

quà addiſcendę, quà tradendę emerſus ergaſtulo, Sacris Theologiæ ſtudiis alacriorē, ſi non attentiorem (erat enim ſemper ſibi ſimilis; nec quid, ſed quo authore faceret, cogitans) cæpit navare operam. In jiſque eos progreſſus fecit, ut ad ratam, firmamque ſeveriſſimi examinis aleam, ſacramento plurium interpoſito, dignus ſit habitus, qui, quæ didicerat, in celebrioribus doceret Academiis. Ad eam ita ſe contulit, ut Verbum, quod ea vel unicè, vel primò reſpicit, latitans in quæſtionum involucris invenerit; ejuſque ſub pane, & vino deliteſcentis, conficiendi ritè myſteria poteſtatem ſit adeptus. Quo ille ſtudio, quo ardore, qua lacrymarum copia operaretur ad aras, alibi dicetur uberiùs. Hic locus moneret, ut ſacrificiorum ejus introſpiceremus primitias, utrumque tamen eodem hoc argumento conjicietur; qui in menſa, qui in animi relaxatione, dum ruſticaretur in Villis, divino conflagra-

flagrabat amore, quanto in illā conjectus fornacem amoris incendio exæſtuaret neceſsè erat? Vſus eſt prçceptoribus Ioſeph ab Auguſtino, & Cæſare à Boſco altero Provinciis, altero florentiſſimis Panormitani Collegii ſtudiis regendis immortuo. Abſoluto Theologiæ quadriennio, aliiſque Societatis experimentis expletis, XVII. ab ingreſſu anno in Profeſſorum Templo, cui, & laxitate, & accurrentium frequentia procerum celebri, & marmoribus minuta, exquiſitaque ſculptura circumveſtito, ditiſſimoque ſacro cultu, celeberrima votorum ſolemnium nuncupatio ibi ab Aloysio edita addidit celebritatem; nec temerè factum credimus, ut ibi maximè ad ſacerdotis pedes abiectus reddere Domino vota ſua videretur; ubi haud ità multò poſt, ſublimis è ſuggeſtu viſurus erat nec ſe capientem populum, nec ab æde ſacra captum, undantem, effuſum in plauſum ſolidum, ſuſpiria ſcilicet, & lacrymas, contuſiones pectoris,

colaphosque sibi impactos, & quod antè prædixerat, eundem populum ad suum obitum cohonestandum complorantem, non funus, sed in triumphi Sanctis debiti, morem, lætissimè lacrymantem: adeò ut seu vivus, seu mortuus semper lacrymas excitaret, modò suæ sanctimoniæ indices; modò alienæ pænitentiæ testes.

MATURUM jam operi ALOYSIUM, & singulis muneribus parem, cum sibi exedræ, sibi præfecturæ certatim deposcerent, segregatus est tamen à suis Præfectis *In opus Evangelii*, non sine summo consilio: cur enim qui oculis, vultu, incessu, quod de quibusdam dicebat Ambrosius, toto denique corpore loquebatur, non etiam lingua, loqueretur? & qui visus tantum concionabatur (quod utrique Francisco Assisiati, & Borgiæ contingerat) non concionaretur auditus? Acumen præsertim ingenii cathedra exquirit; prudentia, & si

non

non tota; maxima tamen pars est regiminis; totum sibi hominem, totumque Devm penitissimè haustum prædicatio vindicat; nisi sit *Æs sonans, aut Cymbalum tinniens*, quod non adeò dedecet Præceptorem, à quo præsertim sonus exquiritur.

Demandatam sibi cælitùs Provinciam Aloysius suscepit libentissimè, & promovit egregiè: abdidit se in Bibliothecas, libros perdius, interdum etiam pernox evoluens, pervolutavit Patres, lustravit interpretes, nullum scriptorum genus prætermisit, ex quo posset proficere; tantamque sibi supellectilem concionatoriam comparavit, ut scripturum dè arte uberrimè crederes, non dicturum ex arte brevissimè. Tanto apparatu tantaque sylva jam cæsâ, acerrimi vir ingenii, & imprimis eloquens non est abusus ad pompam, nec masculos illos eloquentæ spiritus effæminavit in flosculos, sed amentatas hastas contorsit, &

ful-

fulmina, quibus tonare, fulgurare, permiſcere denique Orbem terrarum poſſet univerſum. Verum hæc quota pars apparatus? inventis jis, quæ dicenda eſſent; opportunè diſpoſitis, rectè confirmatis, ſufficienter ornatis, arte latente, prodente ſe ſpiritu, quo die ſibi dicendum eſſet, ſurgens è ſtrato ſine libris, ſine ſcriptis, omnique etiam, obſeratis feneſtris, intercepto lumine, ne poſſet ad illa recurrere, horas omnes dum ſuggeſtum conſcenderet, orans tranſigebat cum Deo: Excipiebat longas preces flagellatio longa; quæ plerumque etiam concionem ſequebatur. Poſt adoratum in Euchariſtia Deum, è tenebris prodibat in ſolem, exitu tantæ virtuti nunquam non reſpondente; loquebatur enim *Prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illi*; Ejuſque extemporaneæ, Deo dictante, eloquentiæ, abjecta prorſus ſcripta jam concione, teſtem producam locupletiſſimum;

eſt

est is Petrus Spucces suo satis nomine sine Elogio notus; huic demissionis non minus, quàm consilii ergo, cum concionibus, quas sacri adventus tempore anno MDCXXVI. Panormi habiturus erat, discipulum sistit se Aloysius; rogat, ut benignè audiat, & attentè, severè discutiat, expungat liberrimè. Audit ille, cum præfatione honoris, libentissimè, gratificaturus scilicèt amicissimo, eidemque Sanctissimo homini non sine operæ pretio, quippè qui solus ebiberet, quod ingentibus campis irrigandis futurum erat satis; & audita collaudat. Accedit deinde publicus auditor illius, cujus privatus præceptor extiterat; sed earum, quas audierat, laudaveratque concionum ne verbum quidem audit. Miratur primò, deinde putat primam concionem, alia thesi succurrente, fuisse mutatã. Accedit secundò: accidit idẽ, quod primò. Tertiò tandẽ aliquid suprà hominem latitare suspicatus, convenit Aloysium, & conquerentis in

mo-

morem, quò verum expiscaretur; ludere ne, inquit, me voluisti, cum habendas proximè conciones mihi prælegeres, ex quibus tamen ne verbum quidem, aut apicem pronunciares? tùnc ille rubore suffusus: est quod mihi ignoscas ait: in cubiculo trado me totum concioni; in suggestu me, concionemque Deo trado, dicturus si probet, abiecturus paratam, si ipse dictare dignetur: Hinc frequentèr illud Aloysius usurpabat: à concionatore quidem scribi, pararique concionem, Deum verò concionari. Hæc autem, quæ dè se ipso prodere, ne amicum luderet, coactus fuit; generatimque dicebat; luculentius opere comprobabat; *Quis enim posset ea signa facere, quæ ipse concionando faciebat, nisi DEUS concionaretur in illo?* Sed dè hoc alibi fusiùs: nunc egregiorum par concionatorum in ejus concionum commendationem producam. Quorum alter cum inaudisset,
non

non posse ALOYSIUM audiri sine lacrymis: mulierum; scilicet, inquit; audiam ego siccus omninò; & seu quod figulus figulo, seu quòd muliebres tantum esse lacrymas judicaret, accessit ad audiendum durior, quàm concionatorem deceret, sed mutavit brevi sententiam, & cecinit, seu potius flevit palinodiam in tot suspiria effusus, sonantésque lacrymas, ut admirationi fuerit concioni, Concionatori lætitiæ. Alter, & ipse uberrimè illacrymans: sic enim verò, inquit, dicendum est ad populum, sic disseminandum est semen Verbi DEI: si DEVS det vitam, ALOYSIUM imitabor, meas omnes scriptiones, delicta videlicet adolescentiæ meæ comburam, exiccatoque fœno, cadet omnis flos; Verbum autem in me DEI manebit in æternum. Ecclesiasten hunc resipiscentem si quotquot eo morbo laboraverunt imitarentur, quàm præclaris in posterum facibus colluceret Ecclesia!

 HINC

Hinc in Aloysio vis illa flexanima, ut quòcumque vellet traheret auditores. Mundum muliebrem in urbe hisce munditiis, & licentiæ dedita unica concione compescuit. Leontinis ut extincto Deo luctuosiùs parentarent, paucis verbis suasit; utque ornamentum colli sexta sanctioris Hebdomadis feria omnes abjicerent; tribus, qui id respuerant, morte, non sine Vrbis horrore, mulctatis. Aci talos, & aleas ab jis etiam extorsit, qui ludendo diebus noctes jungebant. Messanæ bini patritij depositis simultatibus palam se se invicem amplexantes in concordiam redierunt. Sed vis major enituit in traducendis à turpi quęstu, cænoque libidinis infelicibus mulierculis. Ingens quidem, cum hasce lupas turmatim in caulas cogeret honestatis, præda, sed quæ jam assiduitate viluerat; illud ex adjunctis non omittendum.

Roga-

Rogabat Causidicum ipsius Cliens, ut nescio quid ageret ad causam pertinens; negat ille se facturum, nisi se comitetur illa die ad Aloysium audiendum euntem: desunt ne, reponit cliens, concionatores alii, ut me cogas tanto incommodo, & fortasse etiam discrimine, tam spissæ confertæque misceri frequentiæ? audiam iterum libentèr, nunc quod instat, agamus. Falleris amice, si renuis; à me nihil hodiè impetrabis; subdidit ille; ad quem alter, accipio conditionem; quàm obfirmato es animo! sequutus est causidicum, subeunt ambo Templum; sed qui venerat invitus, sensim latentèr digreditur. Digressus, hæret currus inter, aurigas, & equos! Tentat hàc illàc sibi iter aperire, nec tamen viam invenit, non secus ac si in labiryntho esset; urgetur à fronte, à lateribus, temonibus, succussis loris, flagellis excussis; acriùs verò à tergo percutitur, cervicemque retrò fle-

ćteris, ut repercutiat verberantem, ecce Aloysium videt, quem in ſuggeſtu reliquerat, urgentem ad Templum, minitantemque, ſi ſecus faciat. Conturbatus ſimul, & territus bono ſuo ingenti paret; nam vix abſoluta concione ab Aloysio, ad pedes cecidit P. Franciſci Morelli, depoſiturus ejus auribus omnes animi ſui ſordes, cumque negaret ille tempus eſſę præbendi confitentibus aures, rogaretque ut rediret: minimè, inquit lacrymabundus juvenis, minimè pater mi, non hinc niſi ablutus abibo. Commovit Morellum rogantis fletus, qui altiùs quàm à ſuggeſtu originem ducere videbatur; reſtititque, lacrymantem rogans, ut quod vellet paucis innueret. Tum ille: quatuor ſuprà decem annos ſimultatem gero cum Deo, qui me renitentem, fugientemque Concionatoris manu, paulò ante ſtitit, ac tenuit, quæque ſibi acciderant, narrat. Attonitus rei novi-

tate

tate Sacerdos, iterum, iterumque percontatur dè ſingulis, & geſtit repetita audire. Tandem confirmatum, eruditumque ad inſtituendam accuratiſſimam omnis retroactæ vitæ confeſſionem reverſurum dimittit: Rediit ille non ſemel per plures hebdomadas, & parem tanto apparatui, & vitæ in poſterum inſtituendæ confeſſionem abſoluit.

HINC tanta ejus audiendi cupiditas, ut accurrentes ingentia Templa non caperent, occupatiſque certatim, raptim, confertimque ſubſelliis, alii confeſſariorum exedras conſcenderent, alii ſuſpenſa hærerent parietibus manu, quidquid marmoreis epiſtiliis emineret, inſidentes: Hinc apertis sempèr concionabatur Templorum foribus, quò longius exaudiretur ab agglomerata multitudine, anguſtiiſque ædium excluſa; cumque neque id quoque ſufficeret, vel concionabatur ad januam, quò audiretur utrimque, vel in mediis compitis; & ad

cogen-

cogendam importunissimo quoque tempore ad quodvis Templum, in quamcumque distantiam frequentissimam concionem, satis erat, si quis vel seriò, vel etiam joco dictitaret, ibi concionaturum esse ALOYSIUM. Octies mille, eoque amplius, quandoque numerati sunt auditores, quorum plurimi è dissitis adventabant plagis pedites, pannosi, pulverulenti, egentes. Cernere erat summo mane cum Templi valvæ reserarentur, concionem irrumpere, altero, alterum trudente, plerisque raptis, non incedentibus, non nemine etiam si fortè cecidisset, protrito pedibus non sine vitæ discrimine: quod fœminæ Drepani contigit; quam conculcatam, cum semimortuam crederent, repererunt non una parte corporis sanguinem effundentem; non tamen illa destitit ausibus, sed ulterius penetrans, quinas præstolata horas, dum creditur ad concionatoris aspectum actura

ra

ra animam, ad illius voces repentè convalvit: quasi verò ſpiraſſet in illam Aloysius *ſpiraculum vitæ*.

Hinc etiam à principum Vrbium, ſeu magiſtratibus, ſeu dynaſtis tanto antè tempore in concionatorem ſuum deſignatus efflagitabatur; nec ſatis erat ſemel, & bis audire, tertiò, & iterum, iterumque petebant. Panormus certè quintùm audivit verno jejunio, totidemque vicibus ſacro Adventu, & ſenos annos ſolidos ſcripturam ſacram è ſuggeſtu prælegentem à prandio, non modo ſine tædio, ſed tanta aditorum voluptate; aviditate tanta; perinde ac ſi tunc primum audirent, non hibernis pluviis, & nivibus; non æſtivis ardoribus, non domeſticis curis retardati; cumque rogarentur ecquid præ tot aliis egregiis Oratoribus in Aloysio reperirent, unum erat reſponſum omnium: ſi, illo præeunte, actum contritionis elicerent, æterna ſe beatitate certiſſimè potituros. Tantum ad rapien-

piendos animos, eosque quocumque libuerit flectendos valet repræsentata dicentis auctoritas, existimatioque virtutis heroicæ: neque ea erat tantum vulgi, populique sententia, idem sentientibus Optimatibus; ex quibus satis sit testem producere Fr. Henricum Pontium dè Leone, qui fortunæ utramque implens paginam Archiepiscopus, idemque Prorex, cum illum concionantem videret in compitis, jusso hærere curru, excitatus ad pietatem, in admirationemque raptus clamabat: Videri sibi audire dicentem Theologorum principem Augustinum; nec enim doctrinam dissimulabat, si qua se theologica quæstio offerret explanandam: ex quo cordati homines conjiciebant, illum prædicare tantum Christum Crucifixum, spinisque obseptum; scire verò eundem, & eloquentiæ flosculis, & amænissimis subtilitatibus coronare, si vellet; abstinere tamen, nisi res aliud posceret, ne

non

non tam Christum, quàm se ipsum prædicare videretur. Verùm licet ille, quò lateret magis, à dicendi luminibus temperaret, non potuit tamen cæleste lumen effugere; DEUS enim contulit quoque splendorem, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Illum rarum dictu, cum concionem habebat, cælesti lumine radiantem aspexere nonnulli, syderis instar, quandoque etiam solis, luculentissimè radios difflantem: quorum alterum Abbas Bernardinus Colli, alterum Ioseph Politus Iurisconsultus jurati testes affirmant, contigisse Panormi. Laudo alios testes, quos inter non nulli omni exceptione majores, licet cursum remorentur; ne quis suspicari possit oratoriè potius me loqui, quàm historicè, figurisque omnibus ablegatis: Pater Franciscus Alaymus Sancti Philippi Nerii Alumnus Refaudali, Nesi; verò P. Paulus Soldanus ex ejusdem Congregatione, instar solis collucen-

tem conſpexere cōcionantis Aloysii vultum ; & ne tantum luceret externis P. Carolus Landolina , in quodam Panormitano Sodalitio lucentem vidit , ſociiſque monſtravit. D. Margarita Cavalcanta mirabatur cum Catharina filia , quod non alii ejus ſplendores adverterent , quos ipſa nunquam ſine oculorum perſtrictione, periculoque conſpiceret . D. Aloysius Cameros plurium Eccleſiarum Pactenſis primùm , tum Aſerenſis in Sicilia Sponſus ſingularis , affirmat vidiſſe ſe concionātis Meſſanæ coram Ioanne Auſtriaco Aloysii faciem ſplendviſſe ut ſolem ; eandemque D. Franciſco Mello Prorege teſte excellentiſſimo , ſcintillantis ſyderis radios induiſſe . Et quoniam quę à Deo patrantur , eadem ſemper ſunt in quacumque materia , non decreſcet oratio , ſi ſtellis , ſolique , carbones , & ignem , quas formas quandoque etiam induit , adjungamus . Petrus Ballator è Societate vidit Meſſanę faciem ejus verſam in ignem, labia

bia verò in carbones ignitos; idem Nesi vidit Ioseph Buſcemi adjunctis igni radiis, dum doceret auditores, quidnam eſſet Divinus Amor. Ibidem Franciſcus Brancatus Iuris peritus vidit adſtantem illi ſpecie incomparabili Angelum. Inſidentem etiam ejus capiti concionantis albam diu columbam tacita conſpexit puella alia ingenuis moribus, donec puellarem in morem vocibus proſequuta eſt abeuntem. Anno MDCXL. adnoto tempus, quod enim ſequitur præclariora habet adjuncta, Maria Infantulina natu major, ne fidem ætas abrogaret, rogatu Catharinæ ſororis, invita ob loci diſtantiam, magnos calores, nimiamque frequentiam venit tamen ad prælegentem ALOYSIUM audiendum. Diù præſtòlata poſt tot incommoda lectionis initiũ, in querelas erupit; neſcio enim quo pacto in jis, quæ inviti facimus nanciſcimur ſemper querendi materiam; ſed moram, cæteraque omnia jucundiſſimũ

ſpectaculum compenſavit. Vix conſcenderat ſuggeſtum, cum nauſeantis Mariæ Aloysius oculos rapuit, animumque; & dum hæret in ejus vultu, & pendet ab ore, candidiſſimam conſpicit in dicentis ore columbam innocente roſtro frontem Aloysii fodicantem, paſſiſque alis obumbrantem, adeòque ſe illi inſinuantem, ut videretur velle, ſe totam in eum infundere, in eumque penitus, alteque deſcendere, quo viſo delectata mirificè, & qua erat priſca bonitate ad ſororem converſa: ecquod hoc genus presbyterorum, inquit, quod cum concionatur, columbam geſtat in capite; rata fortaſſe ea ſimplicitate, ad inſtitutum, & vivendi rationem id pertinere; utque alii ſtolati, alii palliati procedunt in ſuggeſtum, ità nos columbam doctam inſidere capiti, ferre prò pileo.

CA-

CAPVT. V.

In Aloysio rerum futurarum prædictio, atque arcanorum præsensio.



HIS oſtentis DEVS concionatoris ſui corpus condecoravit, atque luminibus; longè verò cumulatioribus animum ejus colluſtravit, & mentem. Hactenus videre alii in ejus vultu lucem; nunc ipſum, vel ipſas aliorum conſcientiæ latebras introſpicientem videamus. Meſſanæ ad Populum dicens in triviis diſertè affirmavit, eſſe ibi ſuos inter auditores, qui annos ſedecim à pænitentiæ foro abſtinuiſſet. Ibidem iterum, qui vigintìquinque: uterque ictus ad Sacerdotis ſeſe pedes abjecit. Panormi cum concionaretur etiam in plateis, dum eques è curru deſiliens, turbæ ſe eum

au-

auditurus, adjungit, bono suo, audit, se designari, dicente Aloysio esse in concione à pænitentiæ Sacramento per sexennium abhorrentem. Convenit Domi post Concionem Aloysium, facturus periculũ, num destinato, an casu in ipsum incidisset ictus; consulitque, num censeret generalem, quẽ meditabatur exhomologesim, fore sibi salutarem. Cui ille: Vtique Domine, indiges enim eo lavacro, quo sex annos caruisti. Est Oppidum, quod Planam Grecorum indigitant; hìc Aloysius conscenso cumulo sic orsus: Siccine miseri vivitis improvidi futurorum, imminet tam atrox tempestas, ut non inventuri sitis extra Templum effugium; quod tamen cuidam Misello non proderit, qui fulmine ictus, ibidem mortem nanciscetur, & tumulum. In Syracusano portu ad plebejos, nautasque prò eorum captu dicebat. Melitenses quidam Equites deriserunt styli simplici-

tatem, ad quos, ridetis nunc, inquit, hac nocte lugebitis. Quod velut intercalare carmen inter dicendum usurpavit. Adulta jam nocte Melitensis classis solvit è litore, & ingentem inimicum Mioparonem, quem primo cursu obuium habuit, prò more aggressa strenuè, non prius cæpit, quàm explosis tormentis hostilibus ingenti equitum clade accepta gemuit cruentam victoriam, trucidatis eadem nocte equitibus, à quibus fuerat derisus. Apud Leontinos, ubi respiravit repetiturus planiùs, quę antè dixerat contra divites, qui obseratos adhuc publicis tabulis habebant debitores, debitis jam solutis, Ità disertè pronunciavit: Audite Leontini intrà annum, deinde bis se corrigens, quasi re melius cogitata, intra sex menses, inquam, & fortasè intrà mensem tanti criminis reus luet pænas, adeò terribili lethi genere claudens vitam, ut futurus sit medicis ipsis horrori simul, & stupori: nec minori omnium admiratio-

tione, & emolumento rem brevi infelicissimus probavit eventus. Panormi, cum P. Thoma Clavello divertebat ad litus, unde conspicatus triremes ultrà milliare distantes: non ne vides Pater Dæmones geminos igneis cornibus Prætoriam ingressos? Minimè verò respondit ille, ad quem Aloysius: Circumstant pessimæ illæ bestiæ meretricem, quam mille inter homines Deus mihi dedit discernere, appulsaque jam classe Regium compellans celeustem, cur, inquit, bone, malos genios è triremi facessere non jussisti; quoniam, lepidè reponit ille, exorcista non dum sum. Tunc Aloysius, saltem sis Ostiarius, dumque ego dicturus in triremi, eam in Templum converto, tu lupas abige. Quod & maximo illius bono factum est. Nec pectorum audientium nudus in Aloysio erat intuitus, sed constans erat omnium in Sicilia sensus, plurimorum experientia comprobatus, eum in penitissimas medullas,

dullas, minimasque fibras peruadere; & quod Apostolis datum legimus, ut audiret unusquisque lingua sua eos loquentes vocum tenus, subjectarumque illis notionum, id dè cordis, animorumque sermone non raptim, aut per intervalla, sed constanti beneficio, perpetuoque Aloysio fuisse concessum divinitùs: si quis crimine aliquo laboraret, se descriptum graphicè, se designatum sentiebat ad ictum, in se unum privato sermone, non publica concione putabat intentum. Tentavit non nemo mutando in concione locum experiri, num se sua conscientia, mensque falleret, in eamque persuasionem induceret, in se unum invehi Aloysium? mutato loco, ad eundem concionatòr convertitur, agnoscitque se ille hinc deprehensum. Illud mirabilius, quòd, quæ secum quisque reputans animo, tacitus loquebatur, illud idem repræsentans Aloysius,

respondensque vulgabat: hinc illi certissimum operæ suæ pretium, & merces, prædæ semper intento; cum enim à resipiscendo plerumque absterreat verecundia, metusque sese prodendi, & ulcera deferendi, qui vererentur ei se apererire, qui ea non vidisset modò, sed mentem jam curationi admovisset?

SED præstat, habitos LANVZAM inter; nonnullosque ejus auditores tacitos dialogos, jucundaque diverbia audire. Panormi quidam Artifex resipuit, sed non multò post reversus ad vomitum numeros omnes inquitatis absolvit, fugitans præsertim nostri Templi, ne ab ALOYSIO caperetur. Verùm non potuit eundem fugere obvium sibi in trivio, dicentem ad Populum: cælitusque illustratus, cum secum ipse diceret: Quid hoc est? Sagę ne alicujus veneficio in præceps ruo? dum hæc sibi loqueretur in animo, illud sibi reponi audit ab ALOYSIO oculis in se defixis: Non una Saga, sed legio Dæmo-

monum in lethali noxa fœdatum ingreditur, rerum potitur, ne possit miser emergere. Absolutaque concione, inter sexcentos homines manu prehendit: Age inquit, depone noxas meis auribus, auditque attonitum, sed serio, & cum lacrymis confitentem. Vbi ille finem imposuit: sunt, excipit Aloysius, multa, quæ memoria exciderunt; & perinde ac legat, aperit, peccatis detectis: versaque veluti pagina, ad quænam pietatis officia ab incunabulis fuerit propensus homo sibi antehac ne de facie quidem notus, aperit, non secus ac si ejus fuisset conturbernalis; cui sodalitio nomen dedisset; quonam cultu Deiparam coleret, gestans celebrem illum habitulum è monte Carmelo deductum; cui catenulam agonizantium largitur addendam, ad excitandam cum surgeret saluberrimam mortis recordationem. Sicque amicissimè habitum dimittit tutum, futurum cum discessurus esset è vivis, si

respondensque vulgabat: hinc illi certissimum operæ suæ pretium, & merces, prædæ semper intento; cum enim à resipiscendo plerumque absterreat verecundia, metusque sese prodendi, & ulcera deferendi, quì vererentur ei se apererire, qui ea non vidisset modò, sed mentem jam curationi admovisset?

SED præstat, habitos LANUZAM inter, nonnullosque ejus auditores tacitos dialogos, jucundaque diverbia audire. Panormi quidam Artifex resipuit, sed non multò post reversus ad vomitum numeros omnes inquitatis absolvit, fugitans præsertim nostri Templi, ne ab ALOYSIO caperetur. Verùm non potuit eundem fugere obvium sibi in trivio, dicentem ad Populum: cælitusque illustratus, cum secum ipse diceret: Quid hoc est? Sagę ne alicujus veneficio in præceps ruo? dum hæc sibi loqueretur in animo, illud sibi reponi audit ab ALOYSIO oculis in se defixis: Non una Saga, sed legio Dæmo-

monum in lethali noxa fœdatum ingreditur, rerum potitur, ne possit miser emergere. Absolutaque concione, inter sexcentos homines manu prehendit: Age inquit, depone noxas meis auribus, auditque attonitum, sed serio, & cum lacrymis confitentem. Vbi ille finem imposuit: sunt, excipit ALOYSIUS, multa, quæ memoria exciderunt; & perinde ac legat, aperit, peccatis detectis: versaque veluti pagina, ad quænam pietatis officia ab incunabulis fuerit propensus homo sibi antehac ne de facie quidem notus, aperit, non secus ac si ejus fuisset conturbernalis; cui sodalitio nomen dedisset; quonam cultu Deiparam coleret, gestans celebrem illum habitulum è monte Carmelo deductum; cui catenulam agonizantium largitur addendam, ad excitandam cum surgeret saluberrimam mortis recordationem. Sicque amicissimè habitum dimittit tutum, futurum cum discessurus esset è vivis, si

id faceret ; acerrimè tamen antè commonitum , necui id, vivente se, aperiret : ille servavit viventi fidem ; qua ejus morte solutus, & beneficium magnificè deprædicat, & Deiparæ Agonizantium cultu, nullo se per annos sexdecim impedimento fatetur potuisse divelli ; gerere etiamnum in oculis reprehendentis ALOYSII imaginem, eumque etiam sibi jam jam in aliquod casuro crimen se ità spectandum præbuisse, ut posset ad vivum effingere.

PAR cum altero adolescente item Panormi congressus ; cui post compitalem concionem ALOYSII manum exosculanti, brachio tento : Expectatus, inquit, ades ; ductumque in proximum Templum jussit positis humi genibus peccata fateri: ille perculsus inexpectato jubentis imperio, exequitur jussa, & se paucissimis expedit. Tum ille : Tu Saccensis es ; tres ipsos annos Sacramento abstines pænitentiæ ; fædissimum habuisti cum

fæ-

fæmina illa commercium; quo tempore execto viperæ capite, cuidam infelici, quem expressit, veneficium eo loco abditum concinnasti: ut oblivio te horum cœperit? ille tunc resipuit: longo deinde post tempore gratissimi animi mascula edidit monumenta, non veritus in Sancti viri honorem tam enormia facinora publicis actis consignare.

MONIALIS quædam vivissimis se coloribus expressam suspicata, animi sui noxis ab ALOYSIO in concione detectis, ea vix absoluta ad crates illum vocatum convenit, rogatque aperiat, num sibi sit uni loquutus, cum ad omnes diceret? annuit ille, & clam acrius reprehensam etiam num mirantem, cur se palam descriptam non adhuc talem aliæ sorores agnoscerent, ad bonam frugem convertit. Ad eandem alteram monialem alibi traduxit; in quo illud novi, quod pænas illi debitas in se suscepit;

Dum-

Dumque prò ea solvit, eaque nova debita contrahit, Epistola Panormo ad nil tale cogitantem missa, jis verbis admonuit: Dum ego decumbo contracto morbo, ex jis subeundis pænis, quæ tibi debentur, tu cum sorore digladiaris ob pugillum farinæ, quam utpotè pacis figuram in sui corporis Eucharisticum elegit tegumentum DEVS, cum ex jis sit, quæ sunt ad unum, ut loquitur Augustins. Vulgavit illa rem sororibus admiratione defixis.

ILLVD amænius, & velut in scæna diverbium, loquente intra proscœnium Sanctimoniali, & palam ALOYSIO respondente. Invehebatur is in luem illam monialium, cum viris ad crates confabulationum, atque sermonum. Quo tacta fulmine monialis ea peste contacta; flens, dolensque: pænitet me, inquit, & valdè pænitet: atque hoc non satis est, excipit ALOYSIUS: emendatio se-

qua-

quatur necesse est . illa iterum secum : non videbo amplius Crates . non videbis reponit Aloysius : Hoc opus , hic labor ; id nisi fiat , fletus omnis fluit inutilis : hæc in primo illo actu . Rediit bona mulier ad crates, rediit Aloysius ad concionem : & siccine , inquit , statur promissis ? flente interim recidiva , subdidit , ploratur in cassum ; teneo jam priorum fletuum exitum . Obturandæ sunt Syrenum blandè , & per epistolas , munusculaque, quæ sanctus amor non habet, canentium , vocibus aures ; secutaque sunt promissa firmissima . Verùm cum iterum recidisset fragilis videlicèt sexus ; tunc enim verò suscipiente in se causam Numine , cujus partes in sua sponsa agebantur . Adest ad crates paupercula in speciem rogantis stipem , vocatæque ad se toties correptæ mulieri , se adesse ab Aloysio inquit , qui nunquam sperasset fuisse , futurum , ut fides sibi , ne dum

DEO

Deo tam turpiter frangeretur. Quo dicto abiit. Percussa his vocibus mulier, Deo uberius illustrante, detestata crates, in quibus semper errabat: gratias inquit Deo meo, quod ubi toties in amasiis pudoris naufragium feceram, tabulam nacta ibidem, tandem incolumitatem repererim; valete æternum crates, videtis ultimùm maculas, quas toties ex me contraxistis, eluentem; si sana sum, non videbitis iterum. Conscius divinitùs victoriæ Aloysius redit postremò ad concionem, Deumque collaudans dè reportato triumpho, monuit triumphantem, solamque sentientem ad se unam esse sermonem jis disertis verbis: Maria, id erat moniali nomen, à Crucifixi pedibus nunquam abscedas; alioquin inde te digredientem anguis arripiet, laniabitque. Et commodum ibi erat Mariæ Magdalenæ ad Crucifixi è pariete pendentis pedes, effigies, quam æmulata Sanctimonialis, per annos viginti ab-

omni-

omnium virorum abjuncta conſpectu, Sanctiſſimam vitam traduxit. Longus ſim, ſi in hoc genere percurram ſingula. Verùm unum adhuc, quod claudat agmen addamus.

HYCCARÆ, nunc Carini, dum ſancto quodam excurſu Vrbem totam colluſtrat, ad ſacrum gynecæum fama pervenit: ibi rigidioris diſciplinæ monialis, ſtudens removere obices, quos patiebatur in virtutum itinere; ALOYSIUM per epiſtolam enixè rogat, dignetur per quadrantem tantùm aures ſibi dare. Venturum ſe ille reſpondit: inexpectatus ſiſtit ſe ſuggeſtui ad ſorores dicturum: dixerat per dimidiam horam clauſis omninò oculis, qui mos illi perpetuus in gynecæis; tum converſus ad monialem expectantem poſt concionem privatum cum ipſo congreſſum, defixiſque in eam oculis: Qui DEO verè, inquit, inſerviunt, multa offendunt, quibus perturbati quid agere, quid omittere debeant ignorantes, pertur-

I batio-

bationibus, scrupulisque agitati, atque sollicit vitam videntur sibi miserrimam omninò traducere: tùm difficultatum syllabum contexit uberrimum, enumeratasque dissoluit, dissolutis abiit, omnibus insalutatis; moniali illa, quæ vocaverat, omninò serenata: quam postridiè conveniens ordinarius, quem dicunt, loci confessarius, rogansque quomodo haberet, & quodnam ex congressu cum Aloysio solatium reportasset, optimè se quidem habere respondit, nusquã tamen se esse cum Aloysio collocutam, totumque narravit ex ordine; utroque stupente, Deumque mirabilem in servo suo collaudante. Hæc ex multis dicta sufficiant, quæ Aloysium innumerabilibus Dei donis ditatum uberrimè satis, superque demonstrant.

CA-

CAPVT. VI.

Aloysii excursus, & Missiones.



ACTENVS Aloysius concionator, Sãctus ille quidem semper, & Apostolicus, sed paludatus: nescio enim quo pacto phaleras quasdam orationis videtur exposcere locus ille sublimior in præclaris Vrbibus, in marmoreis suggestis, quò manu Populorum vectus est, plausuque evectus ad sydera; nunc videamus illum peditem, pulvere, lutoque decoro sordidum excurrentem in pagos, & villas; non dynastis, proceribusque sequentibus circumvallatum; sed sequentem agrestes homines, prensantemque bubulcos. Excursus sacri Aloysio jam inde à primis annis semper non in voto tantum fuerunt, & in amore, sed ple-

rumque etiam in usu. Post quadragesimales labores, cum etiam Apostoli retia reficiebant in litore, ipse refectionem ratus mutationem laboris, divertebat in Villas, non aliorum more ibi rusticantium, sed rusticos excolebat; nec cum missiones obiret, omittebat rostra conscendere. Hoc igitur fuit inter primos, postremosque ejus annos discrimen; quod in illis Missiones essent parerga, in istis verò totus inter incredibiles illos excursionum effusus labores, quadragesimales conciones veluti parerga interponebat. Impetratam sacram expeditionum provinciam ità administravit, ut earumdem meritò & patronus sit, & exemplar. Eodem, quo Dei flagrabat amore in conciliandis illi mortalibus ferebatur, æmulatus in instaurandis animis, Dei ectypum in effingendis corporibus graphicè à Tertulliano descriptum; cernere eum erat intentum operi, oculis, manu, consilio, ipsa inprimis affectione, quæ lineamenta dictabat. Incredibi-

le

le dictu est, quas molestias, & incommoda devoraverit in itineribus. Insulæ montuosæ, totque distinctæ fluminibus, ut multa passim numerentur naufragia; in cauponiam exercentibus, quà lucri auiditate, quà loci injuria ad emungendos potius viatores aptis, quàm dè via fessos recreandos; in angustis ædibus, seu mapalibus; in lectulis adeò sordidis, ut voluptuosissimus quisque illis nudam humum cubiturus præoptet; in jis denique omnibus, quæ Apostolicæ vitæ antesignanus Paulus enumerat in jejunio, & siti, in frigore; quod socii ex decidentibus nivibus, adeò acre, urensque fuisse memorant; ut spiritum quandoque penè intercluderet, cum ipse more suo aperto capite totus exciperet. Necessariis hisce incommodis longè plura spontè ipse addebat, destitutus jis omnibus adiumentis, quibus honesti viatores itinerum ærumnis occurrunt, sine viatoriis penulis; vetans quidquam co-

ctum ferri à sociis, siccumque tantum permittens ientaculum, ne cuiquam primo ingressu essent oneri; in decursu pauperem tantum cibum admittens, & si quis in urbe primarius delicata misisset obsonia, accipiebat ille quidem, ne quem offenderet, cujus erat opera tunc necessaria, sed vel in nosocomia, vel in calamitosos, ægrosque dividebat. Iungebat labori laborem, iter itineri; corporique ambulando, dicendo, aures confitentibus dando, supplicationes instituendo, jam penè attrito, voluntarias afflictationes, cruciatusque penè perpetuos. cumque eum semper rogarent, ut tandem aliquando quiesceret, interponeretque perpetuo labori quietem, quoad rediret ad illum vegetior; id perbellè usurpabat: tamdiu sibi quiescendum in tumulo, ut tædio futurum esset. In quo vivendi genere prodigio simile est illum viginti integros durasse annos, longè se valentioribus inter-

ter-

terim, & mirantibus, & deficientibus; ut non immeritò ſapientes crederent, illum viribus cælitùs ſuffectis vivere, nec potuiſſe currente naturalium cauſarum ordine tamdiu vitam producere, tanto ante tempore ex ſe defecturam, caſuramque ſub pondere. Magna hæc quidem, ſed fortaſsè cum aliis, ſaltem ex parte communia; communis item ſanctarum excurſionum proventus uberrimus. Neſcio enim quo pacto DEUS, ut quantoperè illæ ſibi placeant oſtendat, fructum miſſionibus centeſimum, centena miſſis brachia dare videatur; cum par hominum interdum ea præſtet, quę niſi uſurparemus oculis, etiam à plurimis minimè confici potuiſſe crederemus.

OMISSIS igitur jis, quæ in aliis quoque miramur, juvat, quæ præter ordinem ſunt, curſumque communem, carptim tamen more noſtro, & curſim attingere. Præter ardorem illum orando conceptum, vivendique modum à na-

natura, ab arte, ab ingenio attributum, quem semper ad dicendum afferebant; consequebantur semper eventus egregii, nonnullis utebatur industriis, & strata-gematis, quæ levia primo aspectu videntur, intuenti exitum, sint admirationi necesse est. Vix locum attigerat, cum ut erat fessus, & interdum sudore diffluens, adorato Numine in Templo principe, ejusque ope implorata, salutatisque jis, qui rebus sacris præerant, cum bona eorum venia accingebatur ad opus. Puerorum vim cogebat tintinnabulo, quos Christianæ legis rudimentis instructos ad alios permovendos erudiebat; docebat illos primùm sacras cantiunculas; mox quid, interroganti sibi quædam inter dicendum, turmatim ipsi præter concionis expectationem quanta maxima possent voce responderent; jis utebatur ad supplicationes instituendas; ad indicendam missionem, ad populum excitandum, & ad

DEVM

DEVM ostensa eorum innocentia permovendum, ut aliis parceret. Sed vis major in concione, cum eo loco dispositi, quò possent melius exaudiri, dum ALOYSIUS, ubi jam in auditorum animos videbat se dicendo latenter ingressum, ut pondus dictis adderet, sei ipsum interrogabat, illi uti convenerant appositè, & contenta voce respondebant. Exempli caussa dicenti ALOYSIO: quò peccator tendit? statim illi: in infernum. Quid autem infernus? Quæ ibi deliciæ? qui comites? cum illi ad singula optimè responderent, inexpectato dialogo mota concio erumpebat in singultus, & lacrymas, & quæ scæna cœperat, complorantem desinebat in chorum, *Et ex ore infantium DEUS, & lactentium perficiebat laudem suam; ut destrueret inimicum, & ultorem*; Cum ad inveteratissima odia dissolvenda, simultatesque tollendas satis esset aliquis eò collineans dialogus, quem ad permovendos

K ani-

animos, & quoquo vellet flectendos valere plurimum intelligens, frequentissimè proventu maximo usurpabat.

Hoc ad excitandum: ad firmandum verò quod Deo dante relinquebat, ut se absente, locus ipse doceret, & diceret, Calvarii utebatur industria; erat is in Vrbe Colliculus, ubi celebritate maxima in editiore loco ingens sanctissimæ Crucis figebatur simulacrum, ad quod per sacella, Christi cruciatus pictis tabulis exprimentia, veniebatur: Documento relicto, ut eò suas ægritudines, afflictionesque deferrent, reperturi in eo Christi Cruciatuum emporio levamentum: in Thermas illas divino sanguine redundantes, quisque se, pro qualitate morbi immergeret, in primo, in altero sacello hærens, nisi vis morbi ad apicem usque proveheret.

Quam grata essent Deo tam ad vivum expressa suorum cruciatuum spectacula, non uno ostendit prodigio; quamvis ego unum, aut alterum tantum seligam.

Dru-

Drumenti ad extruendum Calvarium sexcentis ex vicinis oppidis, vicisque confluentibus jussit Aloysius ad sedandam excitatam itinere sitim propinari vinum, dolio unde haustum fuerat non modò non imminuto, verùm etiam aucto, Dominico Costa teste jurato Prodigii; uti fuerat meri largius distributi Pincerna. Apud Leontinos verò cum trabs insanæ magnitudinis quadraginta palmos alta, quò ab urbe posset aspici erigeretur in destinati Crucem Calvarii, artificis nescio cujus incuria, dum digressa foramine pondere suo ruit, nequidquam reliquis contranitentibus, in Christophori Martini Presbyteri sinistrum tempus incidens, eum semimortuum terræ afflixit, sanguine undequaque fluentem; statim à medicis conclamatum. Indoluit ingemiscentibus, ut par erat Aloysius, seseque lethalis vulneris reum ingeminans, fugiensque frequentiam, sacram sedem quingentos distantem passus, capite pal-

lio obvoluto subiit, humique ante Eucharistiæ thronum abjectus, diu jacuit singultans, & lacrymans. Tum spei plenus ad Christum conversus ajebat: Hoc enim vero quod peto omninò erit. Non negabis utique Domine, ita erit, ut peto. Ita, ita, non hæreo. Iteravit per semihoram ardentissimas preces, plenusque indubitatæ fiduciæ; tùm aliquantulum tacitus, quasi verò responsum exciperet, resumpta lætitia ad Cyrillum Spadam non inde procul orantem: Supplex, inquit, libellus subscriptus est prosperè; non tamen à precibus destitit, quas ad alias binas horas extendit. Die sequenti inter dicendum abrupto concionis filo: Sacerdos, inquit, noster convaluit; Crux enim sanctissima vitæ origo, & fons est, non mortis occasio. Ite dicite ægro, nihil omninò timendum. Adnotatumque est dum hæc ipse diceret à medicis nil tale scientibus vulnus tunc detegi; æger tunc om-
 ninò

ninò convaluit, & postridiè discedenti Aloysio cum aliis adfuit; octavoque post anno perpetua usus valetudine inquirenti in Aloysii gesta totum juratus asseruit: idem aliis primariis viris ibidem testantibus. Magnum id quidem, sed singulare, illud ad plurimos pertinet. In Collesano dum foramen excavaretur Calvarii cruci figendæ, fons saluberrimus statim erupit, & advenarum siti, & omnium accurrentium morbis depellendis aptissimus; quos inter Balthassar Adamus media jam corporis sui parte præmortuus, eò delatus aliorum manibus fonte ablutus, pedum, quem amiserat, usu recuperat, pedesque domum repetit.

CA-

CAPVT VII.

Quem Aloysius è sacris excursionibus fructum perceperit.



NGENS quidem ex Aloysii missionibus Messis, ut vidimus, non deerant tamen spicilegia; in quibus manipuli illi, qui solent esse legentibus gratiores, quippè qui videntur industriæ potius fructus, quàm Campi. Verum hi adeò excrevere, ut necesse sit in spicilegio facere spicilegium, quæque magis eminent, tantum demetere; centenisque relictis eorum historicè loquendo non oratoriè, oppidò pauca attingere. Chorum ducat Leontina fæmina, quæ forma, cultu, licentia, amatorum frequentissimo comitatu, lapsuque Magdalenam secuta errantem, secuta est etiam pœnitentem; nam seu secum reputaret

ubi

ubi morbum peſtilentem, & contraxerat, & afflaverat, difficile eſſe ibidem convaleſcere, nec poſſe epidemicam hujuſmodi phtyſim, niſi cæli mutatione ſanari, ſeu rata anguſta nimium, nec ſuorum ſupiriorum, lacrymarumque capacia mœnia Civitatis, antrum ſibi delegit; & decet, inquiens, cavea lupam, ibi quos fœdè foverat artus, fœdè dilanians, & ut antè amatorum, nunc ſui carnificinam exercens, Maſſilienſis Eremicolæ renovavit imaginem. Excepit Meretricis lacrymas Virgo Deipara, cujus imago ibi reperta maximè fuit venerationi Leontinis; cui etiam extruxère ſacellum cum Epigraphe: Deiparæ omnium gratiarum.

Meretrici Meretricium Capularem Senē Nicoſienſem adjungamus. Habebat is domi pellicem, ſuſceptoſque ex ea filios, qui commixti legitimis eos inficiebant: nec ſe domi continebat fœtor, qui univerſam Vrbem pervaſerat ſtomachantem

tam

tam effrenatam, patentemq; senis jam letho maturi libidinem: plerique omnes rati tempus putationis cum missione advenisse, sperabant iniquam consuetudinem dissolvendam. Sed fefellit eos spes sua, nam quò longiùs abesset, nec posset à quopiam conveniri senex, & allici ad concionatorem exaudiendum, abdidit sese in Divi Dominici: sus videlicet ex hara ad aram confugerat. Verum longè felicior Aloysius insequendo, quàm ille fugiendo: Adit Cœnobium La Nuza, Clavellus Dominicanus ante memoratus subeunti fit obviam, cui Aloysius, alium quæro, inquit, non quæro catellum, Domini domum custodientem, sed delitescentem hìc lupum, & rectà illo comitante cubiculum petit, quo clausus impudicus hospes ludebat latrunculis, futurus sanctioris præda latronis, & nil tale cogitantem nunquam antea sibi visum, ac notum compellat nomine, hilari quidem, sed ad majestatem facto vultu;

tu;

tu; habeo, inquit, ad te DEI mandata, quæ perferam; mirantem ducit in sacrarium, ibique remotis arbitris flectere jubet genua, & aperire peccata, quæ tot annos tacuerat: ille veritus in ALOYSIO DEUM loquentem, narrantemque sibi cuncta, quæ fecerat, exhomologesim ad quinque horas extendit, futurus longior, nisi ALOYSIUM alii aliò sæpius vocatum tandem aliquando à præda sua abstraxissent. Senex rebus suis compositis in eremum secessit solus eluens maculas, quas tam malè associatus contraxerat.

ALIAM ab hac indagine insequutus est feram, quam leporem si timidum ejus ingenium inspicias, si sordes aspicias, suem dixeris. Sacerdos is erat, qui jam filiam ex muliere susceperat, cui sobolis, & fœdioris amoris duplici alligatus nexu solvi difficile poterat. Hic sæpè vocatus ab ALOYSIO, ubi domum ejus

attigisset, abripi se à triplici illo suavissimæ filiæ, uxoris vetitæ, insolitæ consuetudinis dæmone sentiebat. Vicit tandem perfidum animum Devs, & frustrà reluctantem uxorium Sacerdotem sistit Aloysio, à quo exceptus humanissimè eum, dè Divinis per semihoram loquentem altissimè audit non sine voluptate; expectansque post lumen illud fulmen, libello, in quo erat summa precum, quas solent Sacerdotes ante Sacrum percurrere, donatus præter opinionem dimittitur ab Aloysio, additis etiam precibus humanissimis, ne clausum habeat, sed utatur antequam ad aras accedat: Haud ita multo post, libello illo, hausto veluti inde igne se sentit incendi. Fæminam in bonam crucem jubet abire, si sapiat; si nolit in malam; accuratissimam instituit exhomologesim districtissima totius vitę discussione, quibus absolutis defectus repentè viribus visus sibi vapulasse, decumbit. Acersitos medicos, pulsus fallit,

nihil

nihil esse quod terrere possit pronunciant; ille tamen addit Sacramento pœnitentiæ Sacramentum Eucharisticum, quo obsignatus si non è vivis, è potestate tamen mentis discedit. Ad se rediit post aliquot dies, ut domi suæ disponeret, & pauperes instituens hæredes ex asse, rursus evanuit è mente primùm, paulo post etiam avolavit à corpore. Vrbs tota læta successu cuncta referebat in Aloysium, cujus precibus quàm bene vivens resipuisset, tam felicitèr in morte desiperet. Colluctantes enim cum hoste teterrimo illo quidem, sed callidissimo, evadimus ejus tentamenta per amentiam, & cælum ipsum stultitia petimus.

Impvro Sacerdoti Sacerdotem addamus impuros felicissimè insectantē. Senex honesto loco natus, vivens inhonestissimè, auro æquè prædives, ac Sceleribus, tot spurcitiis innatabat, ut Atheum meritò crederent, quem adeò proximum tumulo tot tordibus immarcescentem aspicerent.

rent. Pius Sacerdos ſeni denunciat eum vocari ab Aloysio. Ille furore amens conſcenſa domo, arreptoque gladio prodit in publicum ſpirans minarum, & cædis; eſſe adhuc in effæto corpore vires ad ſe ulciſcendum. Cui pacatè Sacerdos: nil eſſe cur ità incaleſceret, nil opus eſſe minis, multo minus armis, cum nullo eſſe digladiandum. Nuncios jure gentiũ nullis injuriis, nulli damno eſſe obnoxios. Veniſſe ſe ab Aloysio Sancto ſcilicet homine, eſſe ſeni integrum, ire ſi vellet, ſi non arrideret, ſubſiſtere. Senex ubi detonuit, eamus, inquit, videbo num me apud Sanctum virum adduxeris. Excepit illum humanitèr Aloysius, obſeratoque cubiculo, muta omninò fuit Scena, nullo alio quam ſonantium verberum audito ſono: nudatos enim ſuos humeros Aloysius adeò inclementèr arrepto diverberavit flagello, ut Senex ſpectaculo attonitus effuſus in lacrymas ſiſtere juſſerit, ſatis eſſe clamitans, jam ſe victum

ctum, vitam mutaturum. At non ALOYSIUS, interque verbera asperiora, illud subdidit non se destiturum, donec pelleret domo pellicem. Totum ille spondere, juratus vovere, modò vir DEI lanienæ suæ modũ iteratis contentus promissis imponat; quamobrẽ posito ille flagello, vibicibus, vulneribusque tectos humeros vestibus contegit, monitumque senem seriò promissis, ut stet, sponsoris incostantiam mente præcipiens, blandè dimittit, promittitque se si falleretur, ulterius institurum. Inveteratus ille malorum, muliercula in penitioribus ædibus abdita, ne à quopiam visa, rescire posset ALOYSIUS adhuc domi manere, promissi immemor ruebat in pejus; cum vir DEI Divino studio succensus senem domi suæ conveniens acerrimè increpat, quod DEO mentitus esset in caput suum; cui ille falleris Pater: fæminam jam ejeci, Tunc ALOYSIUS mentiris, inquit, domumque circumiens tacto cubiculo: hic deli-

delitescit subdidit, quam mentiris expulsam; non homini mentitus es, sed Deo; quo dicto discessit. Ille delusis sancti viri monitis, verberibus, prodigiis; luit pænas, post diutinum carcerem, è ditissimo in nosocomio mendicus moriens, pellice tanquam saga à sacris quæsitoribus capta, damnataque ad publicam verberationem infami spectaculo.


Non absimile quid Panormi contigit; ubi primarum partium Patronum monuit, ut obscænam tabulam ab eo remotam cubili, quò clientes frequentissimè conveniebant, vel deleret, vel ureret; facturum ille totum in se recepit, sed postea vel mutato consilio, vel quod fallendi animo promisset, satis esse duxit picturam sub lectuli tabulas abiicere. Vbi id Aloysius Deo docente cognovit, Patroni domum repetens, eum fractæ sponsionis acerbius arguens, cumque ille negaret conceptis

verbis

verbis: qua pollebat auctoritate ad lectum accedens inferioremque cortinam attollens tabulam latitantem mendacii testem ostendit.

Anno MDCL. sub Autumnum cum in villas excurreret, suas etiam facturus vindemias, appetente jam nocte Parthenicum attigerat, & consuetis præludiis missionem indicebat, cum repentè mittit hominem è concione, qui Petrum quemdam ad se duceret mille passibus inde distantem; renuit ille dilato in sequentem diem adventu; mittit eumdem, iterum mandans omninò veniat, tanti esse rem, ut protelari minimè possit. Renuit secundò Petrus, & nuncio solùm redeunte, Aloysius manibus vultum tegens, enixè Deum rogat, mittat ad se renitentem, quem ipse vellet incolumem; tum venientem conspicatus Petrum amplectitur, & ex via fatigatum eduliis recreat. Quibus ille delinitus blanditiis, refecto corpore, ad animum instau-

ſtaurandum converſus, clamat velle ſe aperire ſua crimina, quæ ſeptem annos ſilverat, quibus ab Aloysio auditis, ritèque ſolutis clamat ille præ gaudio: jam Cœlum teneo, cui prò lætitia geſtienti, vera refers ſubdit Aloysius, nec ego te fruſtra tanta, importunitate vocavi; videram enim hoc eſſe momentum, unde tua pendebat æternitas, & væ tibi ſi renuiſſes, ut cæperas. Et hæc è plurimis lecta ſufficiant, nam ſexcenta id genus in actis habentur.



CA-

CAPUT. VIII.

Aloysius prodigiorum patrator.



ACTENVS suis locis, quæ loquens ALOYSIUS prodigia patrarit in animis; nunc quæ corporum ediderit beneficia turmatim, parcè tamen ut antea proferamus. In quo necesse habeo præfari iterum, quæcumque narrantur, & idoneis munita esse testibus, & ritè cognita.

ALICATENSIS fæmina è molestissimo multorum annorum fracti inguinis morbo, tacto ALOYSII è suggestu descendentis pallio repentè convaluit. Catanę eumdem morbum, qui per quadriennium contumax, tot medicis, pharmacisque restiterat, Francisca Maria Scalia è filio depulit, vestis ejus fragmento affectę parti alligato.

D. LAVRIA Famica, & ipsa Alicaten-

sis, imminente Quadragesimali jejunio, quò illud posset valentior dè more percurrere, febrim, qua vexabatur sibi optabat auferri. Quod, osculata pallii fimbrias statim obtinuit.

Iacoba Pons-de-leon Melitensis novennis, strumis omninò perdita, missa est, quò sospitatem impetraret ad ardentem Divi Antonii Lampadem ab Aloysio, jussaque eo oleo collum perungere. Ingeniosa suo bono puella rata frustrà se ad absentem Thaumaturgum mitti, cum haberet præsentem, illum insequuta, posteriori ejus pallii partem collo obvoluit; hinc apostemata, sanies, tumor omnis evanuit; quibus fuerat sex ipsos annos vexata.

Margarita Salerno, quæ tres menses domi se continuerat cassa lumine, ad celebre jam illius pallium convolat, præstolataque descendentem à pulpito, venit, tetigit, vidit, & læta beneficio extollit in concione miraculum.

D. Iacobus Tauromeniensis dè alumna

sua

ſua teſtatur, æmulatam illam Mulieris Evangelicæ fidem, dicentis: *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus ſalva ero*, eamdemque conſequutam eſſe ex eodem, quo olim illa morbo laborabat, ſanitatem.

Sed in illo veluti Eliæ pallio celeberrima quina ſimul miracula videamus. Theodoræ Mariæ Merulæ Acenſis filius duos menſes tertiana, longioris morbi appendice, laboraverat, uti etiam cibi faſtidio, & nauſea, ſomnique fuga, & pituita in thoracem ex capite deſcendente. Ad Aloysium tanquam ad medicam officinam, reliquas expertus inutiles, feſtinus accurrit. Et commodum ille tum cæmentariis, fabriſque murariis exæquans iter ad locum, ut diximus Calvariæ, inſtabat operi, depoſito, quò eſſet expeditior, pallio: cum æger redeunte jam febre, Aloysii pallium induit, eoque vix obvoluto, enumerati quatuor morbi protinus avolarunt; quin etiam è membris

ſanitas deſcendit in animum; quem ante propenſum ad vitia, non modò ad virtutes retorſit, ſed etiam ad clauſtra, & ea quidem arctiora ſanctiſſimi illius cætus, quem Capuccinorum appellant.

Quod ſi Pallium, extima, ultimaque veſtis tantam vim ex ejus traxit artubus; vires longè efficaciores ad impertiendam ſanitatem intima involucra, quæque ei magis hærerent, habuiſſe fatendum eſt. Hinc eſt, ut ejus induſium lepram repentè depulerit; Reliquiæ parciſſimæ ejus cænæ in Vincentiæ Trapani ex oppido Petra ubera lac infuderint, quæ tot jam exucta partubus, Antonio novo filio non fluebant.

Et videre erat, ubi ille cibum ſumpſiſſet, raptim analecta referri, vel in amuleta, vel in ſancta lypſana. Quod ſequitur æquè virtutem Aloysii, ægrorumque pietatem commendat.

D. N. Tripodo Hyccarenſis Sacerdos ſputo è ſuggeſtu, ubi concionatus

fuerat

fuerat Aloysius corraſo ſtrumas, oblinens à ſe depulit; eodemque inuncta mulier Alicatenſis, æquantem oſſa, quæ clauduntur in Perſicis, lapidem emiſit, obſtupeſcentibus medicis ſcabroſum exiſſe ſine ſpaſmate.

Qui prodigioſum in Eliæ modum geſtabat pallium Aloysius, Eliſeum etiam prodigioſum in aquis eſt æmulatus; & hic quidem pleno uſus eſt Iordane, ut unam lepram ſeptenis lotionibus depelleret, ipſe unica etiam gutta neſciens omne morborum genus abigebat; & quoniam ægrè impetraſſent; aquas, quibus ſacrificaturus manus abluebat, exceptas pelui ſervabant, & largiebantur avarè. Sebaſtianus Noreggia Alicatenſis vix paucas hujuſmodi aquæ guttas hauſerat, cum repentè à quartana convaluit, qua nonum jam menſem laborabat.

Dè alterius vita jam conclamatum erat angina ſtrangulante, cum paucę ex eadem aqua guttæ, vitæ ægrum, incolumitatique reddiderunt. Io-

Ioseph Noſcia lumine jam captus dextero, aquæ illius aſperſione ad geminum rediit oculorum lumen.

Calatagironi D. Iacobus Palmerius pupulus adeò fædo affectus ulcere, ut benè valentem virum confeciſſet, ea tinctus levitèr aqua, redditus eſt ſanitati.

Antonivs Sylveſter, Andreas Ferri, Andriana Noreggia, Petrus Bontade in actis teſtentur febres, calculos, cęcitatem, alioſque hujuſcemodi morbos hac aqua demerſos. Hìc verò ne longa ſit Epitome indicatos tantummodo ſe patiantur.

Cvpiebat Populus, ut quæ per aquam prodebantur miracula, in aqua etiam patrarentur; ęquè nimirum divinitùs aucta, ut omnes jam ferè occurrentes poſſent accipere: ſed fecit copiam pia Sanctimonialium ſemper ingenioſarum induſtria. Hæ in ſuo D. Bernardi Templo faciente Aloysio, Ædituos erudiere, ut dum ille dè more manus ſacrifi-

catu-

caturus elueret, quod idem in ipso Sacro, eoque absoluto faceret, aquas largissimè infunderent, exciperent avarissimè; sibique deinde traditas servabant tamquam sacra lipsana vasculis, guttatim in loco, & tempore effundendas; caverent verò ne id persentisceret ALOYSIUS, ne vena exaresceret. Quod tunc etiam cautum est, cum cæco ea aqua illuminato, & jam jam clamitanti, qui aderant imposuere silentium; ut unus ignoraret prodigium, qui unus ediderat, ne uno cognito, cætera in posterum supprimeret, homo scilicèt ad omnem humilitatem factus, & in sui contemptum semper intentus. Quod in memorato oppido Græcorum contigit; cum enim ibi schedulas cum Agni cerei fragmento largiretur pueris, ad fovendam ætatis illius pietatem, conciliandamque frequentiam missionibus non inutilem; eæque morbos omnes depellerent, præsertim verò, quæ ibi grassabantur, quar-

quartanas; puer accurrit ab eo petens, quam acceperant alii Schedulam ad abigendam febrim ex frigore; increpuit puerum Aloysius, sociisque edixit, ne in posterum hasce chartulas largirentur. Verùm quis egentis compescat industriam? semel evadentem fallebant millies, piisque dolis sanitatem impetrabant. Corollas, & serta, quæ dicunt Rosaria ad persolvendum Deiparæ cultum petebant; quæ, ubi ejus manus attigerant, tantam induebant efficaciam, ut singuli globi in centenos diffusi eadem virtute pollerent. Quod Catharinæ Bellæ Mascarensis corollæ contigit, postquam à viscerum dolore, quo sæpè redigebatur ad incitas, postremaque Sacramenta, omninò convavaluit.

Nec ejus largitatis bestiæ prorsus immunes; Mascari Tauromenium profecturo Aloysio equus quærebatur: rogatur Laurentius Luganà, ut suum comodet,

det, utinam, inquit, ille valeret, ſed fœdiſſimo apoſtemate, vermibuſque ſcatente laborat: utitur tamen illo Aloysius, & ſanum paulò poſt, valentemque remittit; quod & Alphonſo Capiblanco contigit, eo tantum diſcrimine, quod equæ ejus ulcus, & ſi inſanabile, domitum tamen eſt *Sacræ ſarcinæ vectatione*, ut in laudem Sancti Laurentii ſcribit Auguſtinus. In quo genere tot eſſent dicenda, ut meritò illud uſurpare poſſes: *Virtus dè illo exibat; & ſanabat omnes*.

Sed jam non morbos tantùm infimi generis ſervitii Aloysii nutibus obſequentes, ſed elementa ipſa videamus. Incipiamus ab aere. Eques, parco nomini, & patriç, abſtractam ſibi ab Aloysio pellicem, abditamque in hujuſmodi reſipiſcentium clauſtrum ferens ægerrimè, fractis loci foribus rapuit, & poſt tam egregium facinus auſus eſt etiam intereſſe concioni; ſtomachante Vrbe tam effrenatam

N libi-

libidinem, effrontemque licentiam: Zelus Dei rapit extra se ALOYSIUM, & tam acritèr in petulantem equitem est invectus, ut insontes ipsi toto corpore contremiscerent. Infracto ad hæc ambusto illo torre libidinis, magis, magisque incensus ALOYSIUS, nec amplius tantum DEI ferens contemptum: quoniam, inquit, non profectura torqueo verba, horrificum fulmen Olympus intorqueat, quò territus resipiscat reus: vix verba protulerat, cum sereno cælo tanto fragore, tanto impetu excussum est fulmen, ut omnes omninò exhorrescerent, uno tantum scelesto illo impavido. Quo desperato, Concionis consulens pavori, satis est, inquit manum Cælo intentans, depulsaque repentè coorta tempestate, sua iterum redit cælo serenitas, ostendente magis Numine quantum sibi complaceret in ALOYSIO, quàm quantum sibi displiceret in sonte, cujus cor induraverat,

rat, maximo omnium, quibus uti ſoleat Devs, ſupplicio.

Qvi ſereno Cælo ciebat tonitrua, turbato longè facilius pluvias concioni ſuæ imminentes, ne eam interturbarent, diſiiciebat. Illud in eo genere admirandum, quod largius effracto Cælo fluentibus, qui eum ſub dio audiebant, omninò ſecuri eas evaderent. Quod pluries contigit; ſed quod bis in eo genere tantum contigit commemorare, ſit ſatis. Anno MDCXLIV. in eo propè Meſſanam tractu, qui Grumentum, nunc Saponaram, inter, & oppidum S. Petrum interiacet, pueros Chriſtianę Sapientiæ rudimenta docebat, cum à Socio Ioſepho Bellomo teſte prodigii, monetur, ut canat receptui ob pluviam: cui ille nihil eſſe quod timeat, binaſque alias horas proſequutus eſt docēdo ſiccam omninò concionem, diſcurrentibus interea ſagittis, fulgetris terrentibus, imbre verò cingente cætum non madefaciente, niſi

plantas, cum absoluta doctrina redeundum fuit in ædes. Simile quid in Drepanensis Collegii prædio contigit, cui nomen Charta falsa. Hìc dum sub Auroram facientibus sociis, ipse rusticos in atrium collectos breviter exposit, soluto jam in imbres Cælo, à cæptis ipse non destitit. Federicus Buscemi loci custos superveniens, dolet quod tam largum imbrem exciperent; cui ille; atqui hìc minimè pluit, & ità esse ut ille asseverabat expertus, testis fuit locupletissimus. Ab aquis gradum brevi itinere faciamus ad merum totiès ab illo mirum in modum auctum, ut non sæpius id à Sanctis viris factitatum legamus. Semel in Terranova, Nari iterum, iterumque Alicatæ, rursus ad Ætnam non uno aucti vini miraculo, sed etiam cum ea appendice, quod illius vini reliquiæ, vasculumque morbos deinde pellebant.

CA-

CAPVT. IX.

Aloysius uti cœlo propitio, sic Tartaro usus adverso.



EXVLTANTE in præclarissimis Sancti Viri gestis Cælo, Orcum fremere necessè fuit, qui suam non uno modo testatus est rabiem, irrito tamen semper conatu, protegente res suas, quarum præcipuus administer erat ALOYSIUS, DEO.

IN Castrobono notæ virtutis fæmina uni ex ALOYSII sociis, quid illis itinere accidisset, quàm fœda fuissent tempestate jactati tam disertè, graphiceque aperuit, ac si comes fuisset viarum, subdiditque fuisse eam auctore dæmone excitatam, ne tum quidem quiescente, sed lapidem omnem movente, extremamque manum admovente Missioni disiiciendæ;

et væ

ctvæ oppido isti, inquit, nisi tartareus hostis, qui susque deque miscens omnia molitur funditus illud excindere, adversantem sibi habeat Aloysium, nefarios conatus adeo strenuè infringentem, ut etiam dum aliis somnum videtur capere, cum teterrimo hoste confligat. Vidisse se radium lucidissimum ex ejus ore digressum ad altissimum Dei Thronum pertingentem, & quidquid vellet impetrantem. Eadem aliàs viderat Concionanti Aloysio ingentis speciei Angelum adstantem, opemque ferentem. Hæc illa clam dè Satanæ cuniculis. Ipse verò palam Messanæ Canis rictu insanis latratibus dicentem Aloysium turbare conatus, illud obtinuit, ut subsisteret: verùm cum rediret ipse ad dicendum, ille ad fœdos latratus, jussus est ab Aloysio silere, cui statim paruit. Locupletiores verò testes furentium, sævientiumque in Aloysium Dæmonum fuere socii, qui excitatas repentè tempestates, sereno cælo typhones,

nes,

nes, debacchantes præter morem ventos, equos territos, referentes pedem, præcipites, dejecti equis, ephippiisque in malos genios referebant, & Aloysio addenti territis animos præsentem debere se fatebantur opem, nequidquam Dæmone persequente; cujus majores in Aloysium machinæ, quem & è suggestu præcipitem, & ex equo mox egit in flumen, mox eumdē erectum, postremisque pedibus insistentem prostravit humi, & inter ipsos Missionis labores, & evangelica sata inimicus homo superseminabat Zizania, irritatis inter se partiariis præsertim sacrorum Templorum, & si quid infausti, si quid calamitosi tunc accidisset odium in Aloysium, ejusque socios referebat; Sempèr verò Aloysii constantia, hostis teterrimi vel versutias eludente, vel impetus comprimente, eumque terra, marique vincente.

Dum Messanam peteret, celocem, qua

quâ vehebatur adeò inexpectata , fædaque concussit tempestas , ut complorantes vectores , nautæque perterriti ab uno Aloysio incolumitatem , & expectarent , & peterent . Ipse flexis in puppi genibus detecto capite ventos , imbres , tempestatemque toto corpore accipiens , oculis cælo defixis se pro communi sospitate devovit; tres integras conflixit horas , ab eoque stetit victoria , & domiti in Pelago Dæmonis triumphum egit in littore , quod ut tenuit , dum alii ignem , tectum , cibos , quærunt , ipse ut erat madidus , totusque perpluens genibus in arena positis totam oravit noctem incænatus , impransus . Sub auroram ubi à nautis cognovit tumido etiam num mari , & reflante vento iter non esse tentandum ad proximum cum sociis divertens oppidum , cui nomen Alæsæ in apice montis extructum ad fugiendos piratarum incursus , arduum iter tanta celeritate superavit , ut Carolus inter Nau-

tas

tas expeditissimus adolescens jure jurando affirmaverit se se valentem, & cibo; somnoque benè curatum ejus insistere vestigiis minimè potuisse. Ibi tumultuario excursu reddidit oppidum felix concionibus, & sequutis inde exhomologesibus, morumque commutationibus; ut pœnituerit Satanam tempestatis immisse; quam Aloysius in oppidi incolumitatem convertit. Et hæc quidem magna ex hoste reportata victoria, sed quam posset callidus dissimulare, & mendacissimus inficiari. Illa vocalior, quam Sicli in Vrbe nobili coactus est miser palam proprio ore fateri. Ejulanti per fæminam, quam insederat, dæmoni dum ipse diceret, concionemque turbanti Aloysius indixit silentium; parvit tunc ille, sed absoluta concione veluti solutus imperio, ad ejulatus, inconditosque clamores rediit. Ducta est mulier ad aram Deiparæ, jussusque Dæmon sacris carminibus ad id factis misellam deserere;

respondit se minimè discessurum, nisi ab Aloysio jussum. Quæritur ille undique, inventusque orans in eodem, in quo concionatus erat suggestu, rogatur, & tantùm non rapitur manibus, ut opem ferat afflictæ. Negat ipse tanti esse apud se Dæmonem, ut eum præsens expellat, satis esse ad eum deturbandum laneum cingulum, quo vestem cohibebat, quo præcincta mulier soluta est maleficio. Fuit hæc incruenta victoria, quippe qua corpus tantum fæminæ ex ejus rictu abstraxit; illa sanguinolenta, qua eum ex Presbyteri lumbis, quos fœdus insederat, extraxit. Et erat dignum cælo spectaculum. Vri se miser ille sentiebat, sed tacitus, luens pænas habiti minus humaniter Aloysii; Is, qui eorum commodis à quibus læsus esset, serviebat impensiùs, ubi sensit inurbani fratris periculum, oculis, nutu, imperio, & totius veluti nisu corporis in ejus renes intentus tamdiu institit, donec


nec ſulphuream è lumbis ſuis flammam faceſſere victor tandem vidit, qui tam fœdè conflictabatur; Duplici beneficio, & debellatæ Veneris; & compendio verecundiæ; cum nec ipſe ALOYSIO vulnus aperuiſſet, nec ab eo ſuper hoc verbum accepiſſet. Tot tantiſque victoriis malus dæmon debilitatus plurima ei deferebat obſequia, ſed ALOYSIUS, ut eum bellatorem fregit, ſic contempſit adulantem.



respondit se minimè discessurum, nisi ab Aloysio jussum. Quæritur ille undique, inventusque orans in eodem, in quo concionatus erat suggestu, rogatur, & tantùm non rapitur manibus, ut opem ferat afflictæ. Negat ipse tanti esse apud se Dæmonem, ut eum præsens expellat, satis esse ad eum deturbandum laneum cingulum, quo vestem cohibebat, quo præcincta mulier soluta est maleficio. Fuit hæc incruenta victoria, quippe qua corpus tantum fæminæ ex ejus rictu abstraxit; illa sanguinolenta, qua eum ex Presbyteri lumbis, quos fædus insederat, extraxit. Et erat dignum cælo spectaculum. Uri se miser ille sentiebat, sed tacitus, luens pænas habiti minus humaniter Aloysii; Is, qui eorum commodis à quibus læsus esset, serviebat impensiùs, ubi sensit inurbani fratris periculum, oculis, nutu, imperio, & totius veluti nisu corporis in ejus renes intentus tamdiu institit, do-

nec

nec sulphuream è lumbis suis flammam facessere victor tandem vidit, qui tam fœdè conflictabatur; Duplici beneficio, & debellatæ Veneris; & compendio verecundiæ; cum nec ipse Aloysio vulnus aperuisset, nec ab eo super hoc verbum accepisset. Tot tantisque victoriis malus dæmon debilitatus plurima ei deferebat obsequia, sed Aloysius, ut eum bellatorem fregit, sic contempsit adulantem.



CAPUT X.

Postremus Aloysii morbus, & Sanctissimus obitus.


ENTATVS sæpè Aloysius est commotiunculis, & morbis ex injuriis, quas Deo à mortalibus, irrogari ferebat ægerrimè. Crescentibus verò æquè peccatis, & morbis proinde ingravescentibus, victus tandem dedit manus, & uno eodemque itinere è tot noxarum, scelerumque cæno, & vitæ miseriis ad optatissimos Sponsi sui evolavit amplexus; & euenit mors non solum fatigata votis, sed qualem semper optaverat labores inter immodicos, & sacros excursus. Recens è morbo, nec dum bene valens Carinensem expeditionem extorsit: quamvis enim ejus antistites obfirmassent animum in reducendis habenis, ut quàm divtissimè

servarent incolumem: nescio tamen quo dolo quà rogando, quà suadendo eorum fallebat solertiam, & quidquid laborum, quidquid afflictationum, & cruciatuum sibi interdictorum voluisset, ab invitis, & negantibus impetrabat. Igitur Panormo Hyccaram, vulgò Carinũ, quindecim tantum milliaria inde distantẽ profectus; vix ex equo desiliit, cum totum lustrans oppidum, more suo tintinnabulo cives monens, & sonum verbis subinde distinguens, missionem indicit, fructu animorum maximo, quippè postremo. Nec inter tot animorum lucra suam sanitatem desideravere corpora. Agatha Gritti D. Andreę Vecchii, qui eum exceperat hospitio, famula, acerbissimis viscerum conflictata doloribus accurrit ad Aloysium; & nisi opem feras, inquit, ipse prior lues pænas, languente, quæ cibos paret, domumque procuret. Subridens Aloysius, in eamque extendens dexteram in crucis signum conformatam ab inveterato morbo

num-

nunquam amplius vexandam dimisit incolumem. Tonsor, qui ei in munere suo erat ab obsequio enarrans Ioannæ filię recens natæ pene oculorum orbitatem, tot doloribus comitatam, ut sibi, totique familiæ maximæ esset molestiæ, illud subdidit tentans eum: utinam Sancti alicujus analectum salubre invenirem, quo morbum medicorum pharmacis contumacem depellerem: bono, inquit Aloysius, esto animo, & chartulam, qua fragmen agni cerei claudebatur extrahens: En tibi amuletum prò pupula, applica oculis, ità tamen, ut antea tu, uxorque tua orationem Dominicam cum Salutatione Angelica pronunciaveritis. Rediit postero Die laudans Deum, & viro Dei gratias agens.

Cvm comitantibus pueris Vrbem lustraret populum ciens ad Templum, fortè fortuna equus irruens in puerum, posteriores calces tam valenter elisit, ut ab omnibus haberetur prò mortuo; accurrit

rit ad commiserantium voces. Aloysius, cumque apprehensum, susque deque manibus vertit, tum humi rectum posuit, jussitque sequi præeuntes. Cætera in hoc genere non persequor, fusiùs alibi prosequuturus.

Et jam quartus erat ab incepta missione dies, cui Dominicus imminebat Sacræ Synaxi deputatus: cum Aloysius, ut agricolas serò è campo redeuntes ad eam excoleret magno ardore animi, & corporis contentione diu allocutus, cum jisque se crudeliter diverberans, ut erat sudore, madidus, eorumdem confessiones sub dio, quò mane essent expeditiores; excepit ad quartam noctis horam, brevem antiquis ejus laboribus metam, nunc verò afflicto, & perdito penè corpusculo tam intolerandam, ut manus dederit; ictum se in pectore sentiens, consequente mox ardore, tum tanto frigore, ut totis artubus contremisceret. Nec tamē tot laboribus, morbisque victus cessit;

sed.

ſed poſtridiè conſcenſo ſuggeſtu ad prima verba omninò defecit: quis tum populi ſenſus fuerit, quis ſociorum, facile eſt coniicere. Iuſſus eſt decumbere, extorſit tamen ſolita illa ſua ſuada, & vi flexamina, ut liceret ſibi à prandio ſupplicationem è ſuggeſtu aſpicere, & tacitũ, oculis, vultuque tantum excitare; & ſanè viſus tãtùm lacrymas excitavit uberrimas: ſocios verò, medicoſque citò pænituit facilitatis ſuæ; nam ſeu modica illa progreſſione, ſeu aſpectu ſignorum, quę circumferebantur Chriſti cruciatus exprimentium, ità efferatus eſt morbus; ut non ſineret eum ultrà ſubſiſtere. Decumbentem qua frequentia, quo gemitu convenirent, etiam princeps Oppidi, ejuſque natu major, Dux Villæ Regalis, cogitatur melius, quàm enarratur.

Secvit jacentis venam Honufrius tonſor ille, quem ſupra memoravimus, qui licèt operæ ſuæ pretium jam cæpiſſet reddita cæcæ filiæ ſanitate, adhuc aliam

ſectio-

fectionis mercedem retulit servata lanceola, qua eum pupugit, & gossipio, quo detersit sanguinem, ad patranda prodigia, quod non semel contigit. Quod de se fatetur Antonius Marinus retento tertium jam diem lotio redactus ad incitas, & conclamatus. Verùm cum Thesaurum domi repertum, vel subnascentem ad Dominum omnia jura pertinere proclament, sanguinem è vena expressum cryſtallo exceptum asservat Vecchius in uberrimam officiosissimi mercedem hospitii, & domus suæ decus, atque præsidium; dum qui in Aloysii gesta inquirebat, cum illuc excurrisset, ostensum sibi ingenti animi sui voluptate testatur; visumque sibi sanguinem purpureum, non secus ac recens effusum.

Verum cum vires in horas morbus sumeret prodens se in sudore, quem Diaphoreticum medici appellant, & om-

ninò lethalem esse pronunciant, reditum socii maturabant; & quamvis non pauci stationem potius suaderent, vicit tamen sententia dè reditu, cum suus Panormo deberetur alumnus. Digredientem suis digressa sedibus tota comitata est Vrbs lachrymans, petensque ab Aloysio in tanta amoris significatione postremum vale. Vecchius domum rediens reperit illam hospite vacuam, sed non prodigiis, nam Famula dum lina, quæ illi fuerant usui abluit, odorem suavissimum hauriens, nec sibi à vocibus, & admiratione temperans, dum nolens viciniam miraculi admonet; coactus est Dominus nequidquam dolens, carpensque famulam, cuncta in frusta concisa partiri, lecto tantum integro sibi servato. Simile quid Aci contigit Catharinæ Patanææ, quæ exceperat eum gaudens domi suæ, & salus ipsius domui facta est pio ejus indusii furto, de quo alibi fortasse nonnulla.

Vt

VT Hyccara ALOYSIUM mærens dimisit, ità revertentem gestiens Panormus excepit: ubi domum Professorum tenuit, emensus iter breve illud quidem, sed admodum laboranti longissimum, in quo *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes* opem ejus implorantes, & animi incolumitatem etiam invitis mulierculis impudicis obtrudens, intento jis terrore: Medicus M. Antonius Alaymus edoctus omnes morbi periodos; jussit eum illa nocte quiescere; qua nocte cum à socio, qui ei semper adstitit, rogaretur, ut quid in sacris expeditionibus agendum esset statueret, & testamento firmaret, penè cohorruit: mox omnes, inquit, præsertim verò qui sacro excursionum munere distinentur ab Antistitum suorum nutu pendeant necesse est, quidquid illi jusserint oraculi loco habendum, quidquid interdixerint inter sacrilegia numerandũ. Intendente se morbo, sacro voluit muniri

viatico, quod cum petendum esset è tēplo in magna populorum frequentia ad sacrarū Servatoris nostri plagarū adorationē tunc fortè confluente, rumore edito ALOYSIUM in extremo conflictu esse, audita inter gemitus vox est illi gemina, quam in Apostoli Andreæ agone auditam sacrę testantur Historiæ: *Concede nobis hominem justum: redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem tibi carum, justum, mansuetum, & pium*; quæ omnia in ALOYSIUM cadebant egregiè. Non impetravit, ut humi jacens quod petebat Eucharistiam sumeret, sed tantum, ut se ipsum accusaret, quod in homine laude omni dignissimo adeò commovit adastantes, ut Christus adveniens omnium lacrymis exciperetur. Cumque citatis equis properaret ad patriam, excipientibus se Sacramētis, P. Prępositus Sacro inunxit oleo, cæna refectum Eucharistica, pransurumque mox apud Superos. In tanta accedentium conve-

ve-

venientium, ſalutantium mixta lacrymis jucundiſſima voluptate, unus, qui ei ſemper aderat cohorruit Socius, cum ex eo audiret illas plenas horroris voces: *Valdè timeo*. Sed memor idem Hilarioni obtigiſſe paventi, Divinæ largitatem miſericordiæ revocavit in mentem; advertitque humilitatis potius eas voces eſſe, quàm timoris; cum eum valetudinario dicentem audiret, ſe ut pecus ſtolidum emori, nullo tunc ſenſu pietatis, nullo anteactę vitę peculio. Vndatim jam ad eum videndum Proceres confluebant; quos omnes obtentu dolorum excluſit, admiſſis jis tantum mancipiis, quæ ipſe à Mahometo ad Chriſtum traduxerat. Invidenteſque Domini mancipiis ſortem, quæ urbaniùs ab Aloysio tractari, atque excipi videbant, per ſanctum dolum velle ſe famulos ſuos ſiſtere dicebant Aloysio, atque per eos Dominis factus eſt aditus; quos ut vidit fracto aggere perrumpentes, dolum dolo eludens, quos ha-

hactenus dolores presserat, permisit in gemitus erumpere; quibus liberum relinquens exitum, turba Procerum spontè discessit. Dimissis ea industria Proceribus; quorum uni oranti, ut sui memor esset in cælo, timeo Domine, inquit, tartara; & tu dè Cælo tam fidentèr loqueris? successere domestici quorum recreabatur aspectu, nec avelli potuerunt nisi nutu Præpositi, nonnullis hoc vel illo obtentu moram extorquentibus. Relictus sibi recitari voluit à Socio Sacræ passionis historiam demissa voce, ne dormientem propè valetudinarii curatorem excitaret, concisimque ut melius cuncta mente percurreret: illas insuper occini Deiparæ laudes gaudebat, quas olim docuerat.

Mater DEI Memento mei peccatoris, atque rei.

Aquaductus gratiarum dona fontem lacrymarum,

Regina Angelorum, esto auxilium Christianorum

Ioa-

Ioachim, & Anna filia tuo Filio nos reconcilia.

Advocata peccatorum, portas aperi Cælorum.

QVIS postremæ ejus noctis spectacula explicet! Toti in curando corpore valetudinarii adeò solliciti, ut dum restaurare nituntur penè perdiderint. Toti in animi instauratione socii per preces, per breves, ignitasque sententias excitandæ menti aptissimas citrà defatigationem evanescentium sensim virium. Toti ad eum terrendum Dæmones, qui eas plenissimas timoris extorsere voces: totus in ope ferenda Michaël, quem semper coluerat; adeò ut inter alternantes illos spem inter, metumque animi motus socio ad metum abigendum intento, rogantique, num occini sibi vellet Psalmum illum: *Confitemini Domini quoniam bonus:* Ita planè, inquit; cumque in illo Psalmi versu aliquantulum immoraretur, ut animos ad-

adderet: *Fortitudo mea, et laus mea Domine*: bene eſt, reponit ALOYSIUS, ſed res jam in tuto eſt: Tu interim cave ne id cuiquam dum vivo aperias, nec longum tenendum ſilentium, inſtat enim diſceſſus, & ego cum Gonzaga meo *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus*; & ire ſe in domum Domini luculentèr oſtendit; cum inter Deiparæ, Natique, quorum è regione frater quidam ſuſpenderat imagines, nutus, verba, ſuſpiria, ſenſa diſpenſans placidiſſimè obiit, ovanti propior, quàm morienti, die S. Vrſulæ ſacro, completa jam octava noctis hora, anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, ſæculi autem quinquageſimo ſexto, quorum nihil vacat miſterio, ut mox aperiam.

CA-

CAPUT XI.

Quæ mortem præcesserint Vaticinia, Quæ exceperint Prodigia.



ODEM anno superioris sæculi, quo editus fuerat in lucem S. Ignatius Lojola, subsequente sęculo natus est Aloysius, & quomodo fuerant in ortu conjuncti, ita in morte non sunt separati; cum quinquagesimo sexto superioris sęculi Ignatius, eodem posterioris Aloysius evolarit ad superos. Nec illud omittendum eandem emensum esse cũ Parente sanctissimo vitæ periodũ annorum scilicet LXV. Signanda post annum dies, quæ incidit in undecimum Kal. Novemb. quo ille die sibi moriendum multo ante prędixerat. Nam cum semel Canonicus Vianisius eum ante aram Sanctæ Vrsulæ in anniversaria ejus celebratione diu vidisset orantem,

ſciſcitatuſque ab illo eſſet, an in illam ſingulari pietate ferretur? annuit Aloysius, conjicienſque in Virginem ſigniferam pleniſſimos amoris oculos, illud diſertis verbis adjecit: meminit rectè Vrſula, quibus illam promiſſis obſtrictam habeam, quæque ſit mihi futura comes propitia in itinere, quod die illi ſacra ſimul habebimus. Manifeſtum id quidem, illud clarius, cum Carinum diſcederet, Magdalenam Græcam ſervili genere, ſed animo, & virtute ſupra ingenuam ex tertio, quem vocant ordine S. Thereſiæ, alloquens, poſt multa illud addidit: ſic habeto; Sanctæ Vrſulæ anniverſaria die in monte Sancto (eſt id Carmelitarum ſtrictioris obſervantię Cœnobium) magnę vir Sanctimoniæ evolabit ad ſuperos; eademque die erit in noſtro templo frequentia nunquam ante hac viſa celeberrima. At illa: quid audio? nil unquam tale inibi vidiſſe me memini. Tunc Aloysius: ne ultra quære, veni, & vide. Venit

nit illa vidit, & eum flevit extinctum, funusque illius Vrbis frequentia cohonestatum, vel ut melius dixerim expectationem funeris; nam funus celebrari prohibuit accurrentium nobilium Matronarum tam spissa corona; ut occupato Templo, exponendo cadaveri, & funebres preces persoluturis locum minimè reliquerint. Provido proinde consilio pompam funebrem rejiciunt in importunissimum accedendi tempus à prandio, quo tempore intra aræ maximę cancellos vicino cadaveri sine strepitu justa persolverent. Verùm quis amantissimos Cives falleret? vix dato ferali æris campani sono ad convocandos domesticos, rati id quod erat, ad tumultus ex frequentia vitandos, ALOYSIUM efferri, statim Proceres, plebsque turmatim irrumpẽs nullo discrimine ad funus propriùs accedere certarunt; & Extinctum ALOYSIUM tangere, non sine lacrymis suaviari, vestes, capillos, ungues auferre ne membris quidem parsuri, nisi

religio, obſiſtenteſque prohibuiſſent. Et quidem fatigatis prioribus, recentes valentioreſque ſuffecti, qui turbam ità arcerent, ut artus tantum defenderent, nam ab aliis ſurripiendis ità difficile erat, ut, non modò bis indutum, bis ſpoliaverint, verùm etiam à veſtibus ad alia digreſſi feretrum primùm in fruſta diſcerptum, mox ſcamna ipſa, quibus innitebatur feretrum minutatim conciſa rapuerint. Et fuit tanto Vrbis amori, venerationique par merces, cui ſi ego manum admoveam, ſeriùs me à prodigiis enarrandis expediam, quàm ſe turba à feretro dimoveri paſſa eſt. Demetam igitur tantùm, quæ eminent. Et primò quidem Templum ſimile erat emporio; ut enim hìc ſinguli ſuas merces inclamant, ita quiſque ſuum morbum, cui ab Aloysio petebat remedium, quo impetrato, acceptum beneficium altiùs ingeminabat; in quo etiam illud geminum, ut enim non nemo nihil empturus acce-
dit

dit ad nundinas, auditis tamen allicientium vocibus, & obtrudentium merces, inemptis reculis non abſcedit, ità non defuit, qui fortè fortuna tranſiens auditis tot prodigiis non inde nihil donatus abſceſſit. Hujuſmodi fuit Maria Iudici, quæ ingreſſa Templum vitandæ pluviæ gratia, dum fugit imbres in ſaluberrimum incidit fontem, ubi dolores arteticos, quibus novem jam annos conflictabatur, depoſuit, cum enim audiſſet mercimonium ibi eſſe ſalutis, apprehenſas Aloysii manus non ante dimiſit, quàm ſe dimiſſam ſentiret morbo; exultavitque fæmina præ ſalute; cujus cura conſanguineis pluſculos jam fruſtra annos permagno ſteterat. Fortuitum hoc prodigium alterum præmeditatum excipiat: Anna Badulata, quæ ab ortu oculis adeò laborabat, ut in jis ſpinas ſibi habere videretur, adeò ſenſim creſcente dolore æquè ac morbo, ut ſeptennis cæca omnino evaſerit. Corru-

pe-

perant præter morbum oculos lachrymæ, quas ex luminis jactura fundebat assiduas; cum audit, quæ in Aloysii tumulo eduntur prodigia, rogatque Matrem ad illum se ferri. Durior mater pernegat, sed mollior Avia non ferens inconditos plorantis gemitus, cęcam manu duxit ad Templum. Verùm timens sibi vetulæ, si turbæ commisceretur, mortem, dum neptis cęcitati consulit, eam ibi reliquit. Illa & ætate, & accedendi cupidine valentior immixta turbæ, ea parte, qua major strepitus rectà sibi videbatur ad tumulum ferre, rapta magis, quàm incedens, pervenit tandem ad feretrum, pampinosque inde raptos oculis admovens tantum profecit, ut jacentis pedes aspiceret, ad eos arctissimè apprehensos advoluta, non dimittam te, Sancte Pater, clamat, nisi benedixeris mihi: nec eam sua fefellit spes, nam vix eo transacto temporis spatio, quo celeber ille Pænitentiæ Psalmus

mus pronunciatur ſurgens gratiſſimo undecumque ſpectaculo ingentem illam oculis luſtravit frequentiam, in eaque Aviam conſpicata, video, inquit, jam video, mox venio, ubi Medicum meum oſculo pedum adoravero, apud quos eam nacta ſum incolumitatem, quam apud Medicos toties dilaniata, ſectionibuſque, & vulneribus in humeris, in fronte, in oculis, in cervice acceptis nunquam inveni. Et ad præſtolantem rediit Aviam, & ſtupeſcentibus, ut in ſimili inquit Auguſtinus, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem ulterius non requirens; mutato matris, domeſticorumque in eo curanda labore, in inſtituendo nomenclatore eorum omnium, quæ puella tunc primum videns oculis uſurpabat, & quid quidque vocaretur curioſiùs inquirebat, & ſciſcitabatur frequentiùs.

Crescentibus prodigiis, creſcebat in horas

lioras frequentia; quiſque pro ſe, pro ſuis decumbentibus, quidquid poterat auferebat, & commodùm Autumnus, deficientibus floribus, pampinos dabat uberes, ex quibus feretro ſubinde applicitis prodigiorum Vindemiam exprimebant.

Hæc ultrò Aloysius præſtitit, illud promiſſi Reus exolvit. Gulielmus Dogana artifex è Caſtrovetrano incolumitatis ex inveterato morbo ſpem verbo firmatam habuit ex Aloysio: ubi illum reſcivit extinctum, accurrit ad Templum impetraturus à mortuo, quod non extorſerat à vivente. Verùm ſpe fruſtratus, quaſi à decoctore recedens ad limen domus abiectus, tum recenti correptus dolore, tum acri ſenſu repulſæ in ejulatus eſt fuſus, & lacrymas, & quid tam acerbè doleret à Ianitore rogatus, cauſam fletus apervit, qui rejectaneam chartam, quam tantum in Aloysii cubiculo reperit, dat ejulanti, ille applicitam

citam inguini repentè convaluit à rupto; viditque ALOYSIUM, non tamquam decoctorem deserviſſe vadimonium, ſed diſtuliſſe, quò obligatam fidem non ſine teſte liberaret. Evulgatoque prodigio, cingulum ferreum non amplius ſibi jam integro futurum uſui, beneficii teſtem reliquit.

FRANCISCVM Pica fiſtula ſub dexteram aurem purulenta, ſibi, domeſticis, & uxori præſertim moleſtiſſima octo jam annos laboratem Ignatia mater fragmento veſtis ALOYSII integræ reddidit ſanitati. Mirandum illud, & lepidum quod Chriſtinæ accidit Caccabenſi. Hanc ſex menſes jam audiendi ſenſu privatam quidam è ſacra Divi Dominici familia, floſculis detractis ex ALOYSII tumulo, jiſque auri applicitis, ſanam reddiderat; ſimplex mulier cum quamplurimos Sanctos ad ſalutem impetrandam fatigaſſet, ut ignoraret à quonam beneficium accepiſſet, ne cui neglecto ir-

rogaret injuriam, nulli gratias egit: Nullique grata rediit ad ſurditatem; tunc facta malo ſuo doctior priſtinum beneficium in Aloysium retulit, ut novum impetraret, iterumque agnito ſuo benefactore convaluit. Illud mole ſua gravius. Catharina Genoveſia recens à partu proſperè in lucem edito, jis cœpit conflictari doloribus quaſi laniatis morſu viſceribus, præcordiiſque admorſis, ut medicorum, & obſtetricum nequidquam ope implorata brevi ſe crederet morituram. Iamque per biduum amens dolore ſingultans, ejulanſque clamaverat, cum è vicinia mulier miſerata porrigit veſtis fruſtulum, quod paulo ante, abſtulerat, acceptum mulier applicat utero, noviſque partus agitata doloribus, enixa eſt, mirum dictu Lupinum caput, tam ſævis armatum dentibus, rictuque tam horrido, ut benevalentem comminuere, ne dum fæminæ recentis à partu viſcera convellere

po-

potuisset. Terruit omnes monstrum, informe, horrendum, vivens; puerpera tam fędo levata hospite, cujus ante fuerat morsa dentibus, nunc aspectu perterrita vix sibi reddita, quas Aloysio grates persolverit, facile est cuique conjicere. Inter monstrosos etiam partus numerandus est Vincentii Pulci infans Ignatius natus sine cranio, cerebro fluitante, nec nucleo suo coërcito. Parens infelix Vincentius frondem ex Aloysii feretro acceptam tenello capiti applicat, durata mox in cranium pellicula. Beneficium Ioannę Elia collatum taceo, è geminis in illa patratis prodigiis id tantum tangens, quod differt ab aliis. Accepti beneficii memor fæmina totam salutis suæ diem in Templo transegit, preces fundens, & gratias agens, cibi immemor, quo sub noctem caritura erat, nisi interdiu comparasset. Igitur gaudio satura domum repetit datura se incænatam sopori. Fortè

aperta arcula argenteum nummum minorem offendit, quem ne cælitùs ab Aloysio datum posset ambigere, advertit recens cusum, quo lautam sibi cænulam posset comparare, accepta à Sancto viro post pharmacum etiam sportula.

Sed non morborum modo, verum etiam mortis potentem ea die fuisse Aloysium Devs luculenter ostendit; cũ Felix Syracusa. D. Francisco Contari spirituali sibi cognatione devincto mandat, ut funebrẽ pompam procuret infanti suo animam jam agenti, & tertium jam diem abhorrenti ab ubere. Suscipit ille in se negotium, sed antè raptos ex Aloysii tumulo flores immorientis pueri collo alligat vel in corollam innocentis Sepulturæ, vel in pharmacum resurgentis; nec sua spe falsus vidit pupulum ad matris adrepentem mammas; easque quà prensare, quà sugere.

Cætera sileri se patiantur, cum enumerata hactenus satis, superque evincant,

cant, quàm ex vero Aloysius prædixiſſet Anniverſarium Sanctæ Vrſulæ in noſtro Templo maxima frequentia celebrandum, quæ fuit altera pars vaticinii. Altera etiam dè obitu ſanctiſſimi viri in Monte Sancto completa. Nam eadem die, eademque hora ibi P. F. Ioannes Maria à Petralia abſolutæ vir ſanctimoniæ vitæ curriculum abſolvit. Completam quoque eam eſſe, qua res ſuas poſt illud, *Valde timeo*, jam in tuto poſitas affirmavit, teſtis eſt ſocius, affirmans ab illius obitu viſum ſibi in quiete videre S. Patrem Ignatium à Xaverio aſſociatum, comitante caterva, tum ſociorum, tum eorum, quos Aloysii labores Cęlo jam intulerunt, obviam veniſſe diſcedenti Aloysio, exceptumque medium Auguſtiſſimæ Trinitatis Throno ſtitiſſe in hymnis, & canticis. Quæ omnia oſtendunt, quo ille apud Deum loco eſſet; nunc quo apud homines fuerit videamus.

CA-

CAPVT, VLTIMVM.

Egregiorum Virorum dè Aloysii heroica virtute judicium.



ONSVLTÒ super Aloysii Sanctimonia egregiorum virorum quæro judicia, nam si è grege quærerem, & infinitus essem ea persequendo, & hæc passim non quæsita se offerunt: nam præter id, quòd antè memoravi, Aloysius Angeli, & B. Aloysii in adolescentia apud condiscipulos nomenclaturam adeptus, provectioris ætatis, & sacrarum expeditionum beneficio, quanta veneratione in tota fuerit Sicilia; quisque reputet. Si prætereuntem vidissent, statim post illum fiebat concursus. Aleatores eo viso taxillos, & aleas abjiciebant, vel saltem tegebant; blasphemi, impiique ad ejus conspectum voces supprimebant; si qui rixarentur acerrimè, illo transeunte reconditis gladiis,

diis, in gratiam non rarò redibant. Majora hęc, in itinere urbes integras obviam venienti per milliaria plura procedere vidisses; eo conspecto genua flectere, in stapedas certatim irrumpere, has osculari, si subductos ab eo pedes minimè possent, surripere sudariola, mutare indusia, in osculantium modum morsus abscindere: unde fiebat, ut vestes semper gestaret attritas, laceras cùm præsanctæ paupertatis studio, tùm alienæ venerationis, quidquid demum ille contingeret velut rem sacram habere, servare, diligenterque recondere; cum tonderetur, pilos, capillosque pluris æstimari, quàm tonsi Absalonis cæsariem, & venire pluris, nisi religioni ducerent res sacras pretio redimi. Procerum etiam mitto commune judicium, cujusmodi erat eo circumeunte currus sistere, ex iisque eos celeres prosilire, & ad manuum oscula accedere: quas significationes honoris ut effugeret, vitabat publicum prò virili. Ipsum in re-

rebus alicujus momenti in deliberationem semper adhibitum, non iter, non vitæ genus, non magnum quid ipso inconsulto suscipi, nec velle quemquam, nisi adstante Aloysio postremum iter aggredi, & è vivis abscedere, quando morbi depulsionem, quam petebat non impetrasset. In quo illud omni admiratione dignum, quod quamvis eos in concionibus graviùs objurgaret ea libertate, qua illum Christus donaverat, nulla tamen amoris, vel admirationis consequuta est imminutio. Iis igitur omnibus missis; ad certos hominesvenio, & urbium integrarum judicia. Cardinalis Trivultius Aloysium longè vocatum in gravissimis adhibuit negotiis Reipublicæ. Idem dux Infantadi, idem Marchio Velensis Proreges, idem pręstitit Cardinalis dè Oria, qui etiam Proregis partes objit, & F. Martinus Ponf-de-Leon Antistes Panormi, & Ręgni Pręses Aloysio accedenti jusserat liberum omninò esse ingressum,

ſum. In quo genere non prætermitten-dum eſt iudiciũ Antiſtitis, & Proregis De Cardenas; hic honorariis januæ cuſtodi-bus mandarat, dum ageret cum Aloysio, nil ſibi nunciari, nullo diſcrimine habito Regiorum miniſtrorum, & Procerum. Inter cætera verò ejus benevolentiæ pi-gnora, illud meritò cordati homines ſu-ſpexere, quòd cum è Throno ſublimis ſo-lennibus intereſſet officiis, quo habitu in-ſignis neminem Præſul dignatur obtutu, viſum in Templo Aloysium, vocatumque audivit ex illa ſummi honoris ſella. Tot Magnatum judiciis ſupervacaneum omni-no eſſet minoris ſubſellii Antiſtitum adde-re, niſi cum uno ex jis aliquod accidiſſet non omittendum. Parco Antiſtitis nomi-ni; erat is ex primaria nobilitate, licet moribus non primariis, & abalienato à Societate animo; mirum tamen erat Alo-ysium illi in deliciis eſſe, & venerationi. Eum ſibi ità devinxit, ut cui nemo auſus fuiſſet loqui, niſi molliſſima; duriuſcula li-

berè obtruderet Aloysius. Fama erat fœminam ſaltraticulam, quę in compitis, civibus ſpectaculo æquè grato erat, & offendiculo, à prætereunte Antiſtite; palam benigniùs conſalutatam. Exarſit enimverò Aloysius, conventumque Antiſtitem, monet dè civium ex impudica comœda periculo; queriturque factam illi à Vicario poteſtatem in publicum cum aliorum exitio prodeundi. Antiſtes, ſeu veritus Aloysii Zelum, ſeu quòd eum facti pæniteret, dolet factam à Vicario ſe inſcio, & invito hujuſmodi facultatem. Atqui ſubdidit tunc qua erat Sancta dexteritate Aloysius: Vide Domine quàm cautè ſit incedendum, quàmque proni ſint homines ad obloquendum dè iis præſertim, à quibus reguntur. Fama eſt non modo effrontem illam fœminam te authore prodiiſſe, ſed etiam à te humaniùs conſalutatam. Quo ictus Pręſul fulmine juſſit parum pudica illa ſpe-

ſpectacula faceſſere. Claudat ſingularium teſtium agmen Vibonenſis Sacerdos Iulius Iorius, vir, ut cætera ſileam, Deo tam intimè, & familiaritèr uſus, ut ei, quod memorat Bartolus in vita Vincentii Carrafæ, hunc ad ſupremum Societatis clavum extollendum non ſemel oſtenderit. Is igitur decumbens, cum ibi concionaretur Aloysius, ejus ſocio ſe honoris gratia inviſenti ait diſplicere ſibi uno hoc nomine morbum, quòd Aloysii concionibus privaretur, ſed hoc ipſum ſe Deo permittere. Nolle ſe tamen in eo articulo conſtitutum omittere quod maximoperè faceret ad Aloysii ſanctimoniam oſtendendam: ſciret igitur, & memori mente reconderet, patefactum ſibi à Deo, nullum omninò id temporis in Societate eſſe Aloysio ſanctiorem; quo nihil dici potuit exaggeratius, cum ea tempeſtate ſciamus in aliis Provinciis viros fuiſſe Sanctiſſimos, eorumque gregem in Indiis.

m. Obsignet Vrbs integra testimonia singulorum: Augusta non procul Syracusis Vrbs nova est, sed elegans, portu celebri, & frequenti Hjerosolimitanæ classis appulsu commeatum indè sibi uberrimè comparantis. Decumbentem ibi viginti jam dies ex immodicis excursionum laboribus Aloysium Socii, seu joco, seu serio Syracusas asportare se velle dictitabant; tulerunt id Cives ægerrimè, injuriam sibi maximam irrogari putantes, si quisquam crederet illum alibi quàm apud se humaniùs, lautiusque tractandum. Paucis diebus maligna se febre ostendente, ubi depositam à medicis vitæ Aloysii spem viderunt; firmatum est publicè inter cives, si, quod Devs averteret, ejus animum ad se Devs raperet, non passuros à se corpus abripi. Rectori Syracusano hujusmodi senatus ejus consultum non placuit; conventumque Præsulem, & dè periculo monitum, rogat, ut opem ferat. Pręsul;
cu-

cujus insignia erga Societatem nostram promerita nulla unquam delebit oblivio, acerbè ferens nostram in sua diœcesi jacturam, præcepto monitos vult Augustanos Cives, si moreretur ALOYSIUS, cadaver asportari aliò ne prohiberent. Responsum est: revereri Cives Patris, Præsulisque mandata, contra jus tamen gentium esse Thesauro apud se reperto privari. Recentem Vrbem, recenti egere patrono, eo loco apud se futurum ALOYSIUM; æqui igitur, bonique consuleret contumaciam, & filiis piè inobsequentibus prò sua humanitate ignosceret. Ægrius tulit Antistes repulsam, & phaselos non paucos Hispano milite armatos misit Augustam, ALOYSII corpus inde asportaturos ab obitu. Sed Augustanos Hispanæ copiæ non offendebant inermes; jam enim milites suos Agusta in ora maritima collocarat, qui adventantes prohiberent excendere; & jam res pertinebat ad pugnam; nec minus strenuè parabatur bellum, quàm si

re-

regia Claſſis Othomanica timeretur. Sed certamen avertit, litemque diremit ſalus Aloyſii; in quo DEUS eo facto oſtendit, quàm impenſè DEUS glorificantes ſe glorificet, & in Sanctorum ſuorum honoribus honoretur.

III LUCULENTA hæc teſtimonia, ſed intrà Siciliam. Trans inſulam fama eadem; eo tantum diſcrimine, quod præſens bonum recreat, abſens excitat famem, quam ut levaret, quoniam depellere omnino non poſſet Vincentius Carrafa Societatis Ieſu Generalis ille ſanctimoniæ æquè ſectator, atque æſtimator, ALOYSIUM Romam deſtinavit accerſere, ut optantem Neapolim, qua tranſeundum erat brevi illo recrearet hoſpitio, immoraturus Romæ diutius. Sed vir ille ſanctiſſimus reveritus ſibi ſimilis ſanctitatem, cùm poſſet imperare, uſus eſt precibus, ejus arbitrio ſubdens imperium; fuit enim ſemper viris Sanctis dè humilitate contentio; & vicit uterque; nam Cara-


ſa cum ſupremus eſſet præfectus ad infimas preces deſcendit; Aloysius veritus in illo orbis terrarum Theatro plauſus, declinavit acceſſum, induſtria non in longum profectura; videbit enim candidatus apotheoſeos Vrbem, quam ſubterfugit vivens, admovendus aris, non ſuſcipiendus in triviis.

Nec ſtetit ejus fama intra Chriſticolas, Turcica ipſa occupavit mancipia; quæ ubi dominos haberent offenſos, tanquam ad Templum ad Aloysium aufugiebant, à quo humaniſſimè acqepta maximo ſuo labore deducebantur ad Dominos, ejus precibus delinitos, venia impetrata, condonatoque ſupplicio. Qua ille occaſione plures hujuſmodi infelices Oneſimos ad Chriſtianam fidem traduxit, captos munuſculis, officiis, obſequiis etiam humillimis, non ſine prodigiis, quę fortaſſis enumerabimus, cum dè Charitate ejus in proximos agemus: nunc librum claudat id, quod ſine ſtupore enarrari

rari non poteſt. Obfirmatum quemdam in ſua ſecta Turcam ad bonam frugem convertere diu tentavit in caſſum; id demum obtinuit, ut ad ſuum cubiculum deduceret: ibi parato pane, & piſciculorum obſonio ſolari famem hortatur. Ferox maurus atroci vultu dedignatus eſt cænulam. ALOYSIUS miratus delicatuli ſtomachi ſupra ſuam conditionem faſtidium, trilibrem piſcem è prunis recentem apponit, quærens num grandiores appeteret, confeſtim appoſiturus. Hæſit ille miraculo exiſtentis repentè piſcis aſſi, cum pollicitatione majorum, non ſecus ac ſi eos ibi clauſos haberet in naſſis, & extemporanea ad arbitrium conditura.


Finis Libri Primi.


LI-



LIBER SECUNDUS.

Aloysii virtutes.





NTEGRVM hactenus Aloysium, & fusorio veluti opere expressimus: est nunc inspiciendus per partes, & singulæ animi ejus describendæ virtutes; ut quam quisque vel suspiciendam sibi proposuerit, vel imitandam, præ manibus habeat abjunctam à reliquis.

CAPVT I.

Virtutes, quæ DEUM in se respiciunt.



T Fidei quidem, Speique satis sit specimen dare, in Charitate virtutum Regina immoraturis. Ab Adriano Palatio, cum post Missionem rediret, spississima nebula mox in fædam tempestatem soluta terrebat Socios, præsertim verò quemdam viæ ducem Andream: ad quem Aloysius: habes ne fidem? cui ille, & verò maximam te præsente. Eja igitur, excipit Aloysius, interritus sequere præeuntem; passisque in crucem manibus, relicto frœno, citatoque equo, omnes sicci perveniunt, luctantibus tantum equorum pedibus cum aquis, lutoque ex immodicis imbribus jam fluente. Bis mille passus attoniti prodigio socii con-

confecerunt; cum tempestate depulsa, ad Andream conversus: Vides, inquit, quid tua fides egerit? disce quid agas, cum aliquid expectas à superis.

Eodem in itinere cum auctum jam recentibus pluviis Blicum fluvium intrare nollet Andreas, certissimum veritus naufragium, sequi jussit meticulosum Aloysius, futurus ipse dux; & Crucis signo se muniens, & aquas exarmans; amnem ingreditur, sequentibus comitibus, mirantibusque equorum pedes vix tam altum fluvium palmum ingressos, figere in unda vestigium. Vbi domum incolumes attigerunt, narrabat omnibus Andreas clam illo prodigium, addens esse domi nostræ sanctum viventem.

Spem illius non modò nunquam frustratus est Devs, verum etiam, quæ ille nunquam sperasset, voluissetque adiiciens, eam in dies reddidit auctiorem. Quod licet sæpè contigerit, gustum tamen dabo tantùm paratæ illi divinitus cœnæ,

ex quo liceat reliqua cuncta conjicere: Iosephum Cannellam Parthenici in Panormitani Tyrocinii prædio degentem formosus adolescens piscatoris in speciem sub noctem convenit, piscesque optimos obtulit distrahendos. Negat ille assuetum se ruri maritimis, iisque exquisitis dapibus vesci. Instat piscator veluti distrahendi mercimonii sui cupidus emeret aliis, si ipse piscibus abstineret: adfuturos ea nocte eos hospites, ut sibi pænitendum esset ultroneas abjecisse cupedias, eò gratiores adventantibus jam Patribus futuras, quò minus pisces expectarent in sylvis. Ne terreretur Emptor pretio, modico se pane, haustuque vini fore contentum inquit. Suspicatus est Frater villæ Custos visos ab illo in via hospites, ab iisque fuisse Piscatorem præmissum. Vt ut res habeat, accipit pisces, jubetque præstolari adolescentem, dum ipse nummos accipit, si non in pretium, quoniam is illud respuit, saltem in proemium,

mium, & interim jentaculum ſumat. Reverſus cum nummis nullum reperit, reputanſque ſecum formam illam, elegantiamque incocti ſole, geluque Piſcatoris artus excedere, ſuſpicatus eſt id quod erat, DEUM verè pium, verè miſericordem alicui famulo ſuo miſiſſe cœnam: dumque animo recurſat forma illa ſupra Piſcatorem, liberalitas ſuprà hominem; Ecce ALOYSIUS cum ſociis: certuſque prodigii hilariùs dè via feſſos excipit venientes, curatque attentiùs, quos DEO ità acceptos inſpexerat.

QUOD quidem aliorum teſtimonio ſæpius contigit; quis autem enumeret quoties uno ALOYSIO teſte contigerit, idoneo ſatis illo quidem, & locuplete, ſi ſua voluiſſet prodere, quæ penitiſſimè occultabat homo ſui contemptor, & in propriam deſpicientiam ſemper intentus. Illud exploratiſſimum ab illo millena aureorum quotanins expenſa quà mendicis ſublevandis, quà meretricibus reſipiſcen-

ſcentibus alendis, quà divino cultui amplificando; undè verò tantam ſummam potuerit corradere homo nihil habens, nihil petens minimè liquet, niſi cum jis ſentiamus, qui putabant à Deo impleri marſupium.

Verum nos inquirentes ejus amorem in Deum, hujuſmodi divini in eum amoris monumenta omittamus. Aloysio amandi Dei ardentiſſimè idem fuit, ac vivendi principium. Vidimus eum à teneris unguiculis, adoleſcente ætate; eademque, & confirmata, & vergente in ſenium beatis ſemper ardoribus hiſce liqueſcere. Ab his duxit originem vis illa calentium lacrymarum, à quibus nec inter epulas temperabat; inter divinas verò dapes, earumque reguſtationem, dum gratias ageret, eas tam divite vena fundebat, ut totus abire videretur in fletus; quos ut remotis arbitris fundere poſſet uberius, abſoluto ſacro in cubiculum ſeſe recipiebat, ubi laxatis habenis

hoſpi-

hoſpitem ſuum colebat impenſiùs, dulciſſimè ſuaviatus, cujus præſentia quo eſſet diuturnior, poſtremis annis vinum uberius, Philippi Nerii veſtigiis inſiſtens, infundebat in calicem, adeoque eo præſente delectabatur, ut conſtans eſſet ſententia eum videre in Hoſtia, quod cæteros omnes lateret: ac proinde divelli videbatur ab aris, in quibus cum ſacris operans longiores moras duceret, quàm adſtantium Miſſæ vires ferrent, & ob id publicè plecteretur; innotuit hanc unam eſſe Aloysii noxam, quòd longiores traheret cum Deo moras, totumque ejus crimen eſſet Amoris. Conſpecta etiã Crucifixi imagine excitabatur ad lacrymas; cum verò dè ejuſdem tormentis diceret, uberrimum fletum tenere non poterat. Dicebat autem dè Chriſti cruciatibus quoties ſuggeſtum conſcenderet; cumque rogaretur; cur illos cuilibet concioni extra locum illigaret, reſpondebat hoc enim verò ſaccarum eſſe, quo benè

omnia

omnia insperguntur obsonia, si non semper saperet, semper tamen prodesse; se saltem, qui eos semper haberet præ oculis non posse eorum opportunè, importunè, non iniicere mentionem. Hinc experientissimi Theologicæ facultatis alter, alter Asceticæ Magistri, sentiebant ALOYSIUM divina pati, raptumque ad altissimos illos contemplationis recessus, quos in Antonio, cæterisque veteris eremi cultoribus suspexit antiquitas. Aliter quì poterat homo debilitatis per se viribus, iisque assiduis spontè susceptis maximis cruciatibus prorsus attritis, lucrandis DEO animis adeò indefessus, ut exequendis iis, quæ ipse præstabat, vix quini sufficerent; totas subinde noctes trahens insomnis, ex oratione in equum desiliens, ex equo in suggestum conscendens; hinc iis, qui exhomologesi conscientias expiarent senas durando horas, eoque amplius interdum ad adultam, ad me-
diam

diam noctem, ſomni, cibique immemor. dans aures: tot diſtentus negotiis, quæ mentem omnino avocarent à Deo, Deo tamen ità hærere ſemper; ut nihil omninò aliud agere videretur; Cælum ſemper ſuſpicere; omnium obliuiſci, & quidquid agendum eſſet, monitore ſemper egere: ex quo ipſe ſui probri ſemper amantiſſimus ineptum ſe, ignarumque appellabat: incedere ſenſibus abalienato ſimilis: nutu, verbis, artubus, toto denique corpore in Devm rapi; quod ſemel ità contigit, ut quod ſemper faciebat, cælare non poſſet: nam cum in Plana Græcorum in D. Nicolai cæleſtem Hoſtiam immolaret, ſenſim incandeſcens, non potuit, quod voluiſſet, toto conniſu corporis ità hærere humi, quin, cum ad elevandam Hoſtiam ventum eſt, plures è terra palmos ſublimis raperetur à Numine, quod adorandum populo extollebat. Teſtes prodigii produco præter adſtantes,

altaris ministrum Paulum Matranga, & Vitum Carnesi, qui loco præerat prò Episcopo vicaria potestate. Idque antèquam è vivis excederet ALOYSIUS, laudati Presbyteri publico documento testatum esse omnibus voluerunt.



CA-

CAPVT. II.

Aloysii cultus Sanctæ Trinitatis, Pia cruciatuum Christi Domini recordatio; Religio in Deiparam, & Cælites; Orandi studium.



IVINO amore captum nunquam ab eo sese expedire, sed magis, magisque semper irretiri, nemini mirum videri debet; cum tot, tantaque offendat, quibus, rapiatur; ut singulis tantum gustandis vix æternitas satis sit, & merito omne tempus impar inveniatur. Quod contigit Aloysio Augustissimæ Trinitatis cultori eximio; ex cujus adoratione in Christi vulnera penitissimè descendebat. Hìc suavissimè defatigatus, divinis dapibus intemperantissimè reficiebatur; nec inde, nisi vel legum jussu,

V 2 vel

vel monitus instare concionem , confessionumque tempus, abstrahi se patiebatur: Hinc ad Deiparam , Cælitesque digressus , quorum erat veluti obvallatus icunculis dies integros transigebat . Longus sim si singula persequar ; tangam igitur omnia , non immorabor . Sanctissimam Trinitatem nunquam tecto capite aut commemorabat , aut audiebat ; quod socii advertentes , pio joco tertio quoque verbo in familiaribus collocutionibus usurpabant ; nihil minus ipse pileum sibi detrahebat, caputque deprimebat . Eam tot icunculis in cubiculum , in libellis , quos frequentiùs volutabat , descriptam habebat , ut quòcumque se verteret , in eandem incurrerent oculi . Nec uno modo , ut est enim ingeniosa pietas , varias ejus effingendæ excogitabat imagines ; nunc Crucifixi , nunc Deiparæ vertici imminentem volebat ; nunc ab uno , eodemque triplici corde , ut Monadem in Triade , Triademque in Monade exprimeret .

meret. Nec contentus his privatæ pietatis officiis, quoties poterat augustum Augustissimæ Trinitatis Templum, quod non longe à Regiis ædibus visitur, adibat. Præcipuam verò capiebat voluptatem, & proprio quodam sensu rerum cælestium afficiebatur, quotiescumque Sanctissimæ Trinitatis, sacra perageret, vel in jis commemorationē suavissimam usurparet. Cumulus verò gaudiorum erat in solenni ejus anniversario, quem ille diem, pervigilio traducto sanctissimè, in maximis deliciis transigebat. Dè ea tam ardentèr dicebat ad Populum, ut omnes incenderet; tam suaviter in privatis colloquiis, ut socii ab ipso digredientes id unum dolerent, quòd dulcissimis Aloysii dè Triade sancta sermonibus privarentur; & licèt divinæ naturæ communitèr, & separatim singulis personis preces, hymnosque persolveret, arridebat tamen magis inter Patris Divini brachia occisum contemplari filium, Spiritu

ritu Sancto non adstante tantum; sed operi etiam intento. Cruciatibus verò patientis Numinis ità afficiebatur, ut quoties in celebre aliquod ejus signum, vel affabrè sculptum, vel singularis venerationis incideret, non posset inde divelli, & hæsisse jam visco ALOYSIUM pio joco socii dictitarent. Videbatur sibi videre ignotæ speciei juvenem honestissimo loco natum indignissimè habitum per contumelias, per flagella, per vulnera, nitebaturque eum in pristinam sanitatem, splendorem, formamque revocare; qua cogitatione tum se se oblectabat, excruciabatque mirificiè, tum etiam ad lucrandas animas, & è peccatorum cœno extrahendas extimulabat acerrimè; eorum enim lacrymis Servator noster, & recreatur, & convalescit.

SECUNDÛM DEUM, Deiparam egregio colebat studio, ejus verò conceptum omnis labis exortem tuebatur acerrimè, nec se capere posse ajebat, quo pacto

benè

benè convenire; & in una ſede morari poſſent, Dei mater, & noxa. Multas à ſe inſtitutas ſodalitates à Maria ſine labe concepta voluit nominari; ut tanti myſterii cultus ſenſim propagaretur, & apud rudes ipſa etiam nomenclatione inclareſceret. Ejus etiam pietati debemus nonnullas charthulas Deiparæ cultum mirificè amplificantes, quippè quas facile eſt ſemper habere præ digitis, in lucem editas ipſo auctore Meſſanæ. Si quod Delubrum, ſi quod ſacellum illi ſacrum alicujus nominis ubi ubi eſſet, eò ſe ſe alacrem, impigrumque conferre, immorari, difficilè abſtrahi: Drepanenſi verò Virgini, celeberrimo illi ſimulacro venerationem, majeſtatem ſpiranti ità hærere, ut ab ejus collo, uberibus, pedibus pendere videretur. Mira, quæ per eum ad expiſcandos animos, Deus patraret Deiparæ referebat accepta; hortabaturque populos, ut in ea omne ſibi perfugium poſitum crederent, & ad

eam

eam tamquam ad tutissimum asylum perfugerent, & convolarent.

Ad Deum, Deiparamque aditum sibi per cælites muniebat: Angelos venerabatur inprimis, & inter illos sibi custodiendo adscriptum, & totius cælestis militiæ signiferum, Ducemque Michaëlem. Ignatio, & Xaverio addictissimum se se profitebatur, alteri tanquam optimo parenti debere se totum, alteri tanquam sacrarum expeditionum patrono, magistroque suos se labores debere: subdebatque Xaverium enim verò laborasse, nos ludere. Germanos illius filios eos tantum esse, qui apud Barbaros Evangelium disseminarent egentes, angustiati, afflicti; nos esse privignos benè curata cute, ad delicias enutritos, humeris hominum vectos ad sydera. Post parentes optimos Germanum Aloysium Gonzagam cognominem suum unicè diligebat, eumque in minutissimarum quarumque legum custodia, & Angelica diligen-

ligentia æmulabatur. Parique cultu alios extra ordinem cælites venerabatur tam exquiſitè, ut nihil aliud agere videretur: præcipuo verò ſtudio Antonio Patavino erat obſtrictus, eo præſertim nomine, quòd illo uteretur ad tegenda, quæ paſſim edebat prodigia, ea in Thaumaturgum illũ referens; ac proinde ad ea occultanda, ad ſe accurrentes ad Patavinum ablegabat; verùm is, & Aloysii ſtudio contentus, & ſuis ſatis, ſuperque clarus miraculis, aliena ſuo remittens auctori, buccinatorem ſe ei exhibebat, qui in ſiparium lectus fuerat ad occultandum.

Plvra Numini, Superiſque obſequia Aloysius exhibebat, preces, hymnos, afflictationes corporis tum publicas, tum privatas, ſermones, & alia ejuſmodi, quæ longum eſſet enumerare, quæque hiſce mediocriter tinctus ex ſe facili negotio conjiciet: verùm hæc omnia folia, pampinique inutiles ſunt, niſi ſuccoſis botris pendentibus diſtinguantur,

X qui-

quibus protegendis viridis ille apparatus, ac ſcena deſerviat.

Orationis ille ſtudio penè aſſiduo, & ità intento, ut dè homine tot curis, expeditionibuſque diſtento incredibile videretur, Devm, Cæliteſque colebat. Multum humilitati Aloysii ut virtutes ejus omnes fateri ſe debent; dè eadem univerſę, non minimum conquerentur, quòd pleraſque aliorum ſubductas oculis magna ex parte cælaverit. Ex eo genere fuit oratio, quam à Chriſto Domino juſſam fieri in abſcondito, tam latentèr Aloysius exequebatur, ut niſi ejus ſocii perrimas, per conjecturas expiſcati eſſent, ea in abſcondito fuſa, in abſcondito latuiſſet. Quęrebat enim ille domi ſemper angulos tam abditos, tamque ſepoſitos, ut à venaticis canibus irrito labore plerumque quęreretur. Tandem aliquando ſocius ejus nidum Meſſanæ invenit, unde in Euchariſtiæ loculum patebat proſpectus, & ut deprehenſum jam nidum,


aliò

aliò commigrantes deserunt aves, sic mutabat Aloysius interdiu latibula; nam noctu ab omni tutus quæsitore, inexploratus orationi laxabat habenas: & quidem si ternas, quas somno indulgebat horas, demas, reliquum omne tempus, seu humi abjectus, seu flexis genibus seu passis brachiis, cum Deo suavissimè traducebat. Per diem, si Domi nostræ hyemaret orationem, sacrum, concio, brevis mensa, expetitaque ejus à sociis consuetudo post mensam, ad animum piis collocutionibus oblectandum, abrumpebat. Cæterum illud usurpabat: *In orationis pace, in id ipsum dormiam, & requiescam*. In maritimo itinere persoluto precum, eoque non brevi penso, cum nautis, atque vectoribus; faciem pallio obvoluebat, quo subindè detracto, ut cælum suspiceret, ignito vultu quod egisset sub sipario, inscius detegebat. Eodem exemplo terrestre conficiebat iter; in quo illud accedebat commodi, quòd reci-

tatis alternatim precibus, subditis equo calcaribus; abjungens se à comitibus liberius orationi se dederet. Dum vicatim, pagatimque excurreret methodus eadem, demptisque consuetis ejus exercitationis muniis, reliquum sibi omne tempus vindicabat oratio. In quo ipse illud habebat incommodi, quòd cum ob loci angustias sociis contubernalibus uteretur, excogitandus illi erat modus, quo socios falleret: hi illud inde commodi reportabant, quòd in ejus preces possent inquirere; observaruntque eum cum aliis ire cubitum, post paucas verò horas nixis in strato orare genibus, ne aut socios excitaret, aut ab jisdem strepitu aliquo detegeretur. Subductis itaque calculis ea summa conficitur, accuratissimo peritorum, idoneorumque testium judicio, denas ab Aloysio quotidiè, nonnunquam quaterdenas orationi tributas horas. Quod si certa partitione inæqualia supputantes exęquare mens

sit,

ſit, duodenas diebus ſingulis orando horas eum tranſegiſſe in comperto eſt; perpetuo æquinoctio, eodemque ſolſtitio; cum ſe æterno ſoli illuſtrandum, incendendumque ſiſteret, eos inde radios, ardoreſque ſuffuratus, quos mox non ſine omnium admiratione attingemus.



CA-

CAPVT. III.

Aloysius divina patitur.



VIDAM miranti quid tamdiu pictor egregius ſtupens, attonitoque ſimilis tabulam cõtemplaretur, paucis quidem reſpondit, ſed appoſitè: O ſi meos oculos haberes. Quod miranti mihi, quì tot horas pernoctans in oratione DEI perſeveraret immotus, poſſet reponere ALOYSIUS; atque utinam ejus oculos haberem, quò vulgarem ſpectacula, quibus ille jucundiſſimè fruebatur. Nec verò poterant tot horas in orchæſtra muti; tacitique conſiſtere DEUS, atque ALOYSIUS: agebantur quidem omnia intrà proſcenium, nonnulla tamen rimantibus patuere. Didacus la Nuza non degener ALOYSII germanus frater, de quo erit ſuus dicendi locus, Nepti refe-

rebat

rebat Aloysium noctu cum Angelis, eorumque Regina Deipara versari, ex qua tantus splendor existeret, ut per ipsas valvarum rimas ejaculatus radios, suos spectantis oculos verberaret. Hoc ipso rescitum est inscio; alia non pauca ex ejus ore, Deo volente, exciderunt. Tetrum illud quidem aliud spectaculum, sed non minori admiratione dignum. Discalceatis Augustinianis nescio qua occasione immixtus tacitè cum illis Aloysius orabat: erat inter eos quidam F. Marcellus à S. Dominico, miræ homo austeritatis, & orandi dono notissimus. Vidit is millena hominum sub eam horam aquarum more labentium in Inferos: altumque inclamauit: Quò quò scelesti nunc ruitis? obstupescentibus omnibus, ratisque miserandum aliquid illi Divinitùs objectum esse spectaculum: dimissis omnibus, qui illi præerat cætui, jubet luere fracti in oratione silentii pœnas, vulgando quidquid illud esset, quod vide-

rat.

rat. Paret ille, quæq; vidisset disertissimè aperit. Rogatus insuper nũ id unus vidisset. Negat ille, subditque habuisse spectaculi socium Aloysium. Benè manè Præfectus mittit quempiã ex illo cætu, qui conveniret Aloysium, rogaretque ne gravaretur aperire, quæ pridiè in suo cœnobio viderat, nec illi prodesse silentium in eo, quod jam Marcellus obedientia adactus patefecerat: faceret in Aloysio Charitas, & Vrbanitas, quod à Marcello extorserat obedientia. Venit is in Domum Professam, rogat Ianitorem, vocet Aloysium; quod dum ille obit ex munere, refertque esse in atrio Augustinianum, à quo expectetur; statim Aloysius: redi, inquit, actutum, & dic nuncio; ut ei à quo missus est referat verissima esse, quæ F. Marcellus à se visa retulit. Sed atrocia hæc spectacula, quæ non una fuerunt, missa facientes ad amæniora veniamus. Vidit alios è Piaculari igne ad beatas sedes con-

convolantes, cujusmodi fuit Lucius Pisanus Syracusanus, dè quo mox sermo redibit. Vidit alios in eodem piaculari igne detentos suppetias à mortalibus expectantes. Ingens quidem hæc Turba, ex qua paucos seligo ALOYSIO vel sanguine, vel ejusdem sacri cœtus cognatione conjunctos. Franciscum Figueroam Panormi degentem summo mane convenit, & Didacum fratrem è vivis abjisse jam memorat; in portum tamen æternæ salutis appulisse: Negat ille Alicata talia nunciari: tum: ne dubita; inquit ALOYSIUS, hac nocte migravit, meque ante quàm abiret conuenit; pone dubitationem simul & dolorem, in tuto enim est, nec hoc satis, licet magnum esset, tenet jam Cœlum: Tù verò in faustissimi nuncii mercedem, altissimum tene secretum. Figueroa miratus viri sanctimoniam, lætusque nuncio; est, subdidit: quod diu opto, sed taceo; cui ALOYSIUS: fare

quis prohibet? metus, inquit ille, non impetrandi; ſed quoniam jubes, præfidens aperio: vellem mori cum gaudio, quod futurum certiſſimè credo, sì mori te preſente contigerit. Hæſit aliquantulum, ALOYSIUS, tum minimè hæſitans: Adero, inquit, morienti. Tum Figueroa: utinam! atqui hoc quo pacto fiet, te nunquam conſiſtente, & ſemper errante? cui iterum ALOYSIUS: adero, adero, claudamque oculos; quod ſexto poſt anno præſtitit, gaudente tunc Figueroa, & cælum manu tenente, uti obſtupuit, cum nunciaret viſum à ſe Didacum la Nuza abeuntem ad ſuperos centum diſtantem milliaribus, quod allatis paulò poſt literis eſt patefactum. In majori diſtantia obitum vidit P. Rajati. Degebat ALOYSIUS Catanæ, & cum Collegii ejus miniſtro familiares ſermones miſcebat, cum repentè inclamat Pater Rajate, Pater Rajate, non ſecus ac venientem videret. Miratus Miniſter tam cordatum virum extra chorum ſaltare, ſu-

ſuſpicatuſque quod erat, id non eſſe ſine numine, admonet eum relicti ſermonis. Hæſit aliquantulum Aloysius, tum confirmatus tegens viſum, incidit, inquit, dè vetere amico cogitatio: quis ſcit quid agat nunc P. Rajatus? ipſe autem quamvis diſſimularet, optimè norat; proximis enim literis nunciatum eſt Panormi Patrem Rajatum diem ultimum obiiſſe Kalendis Martii, quo die ſenſibus abalienatus, illius non expectatam mentionem Miniſtro injecerat, adnotanti diē & horam ne excideret. Qua eadem nocte cuidam è Societate heroicis virtutibus prædito videndum ſe Rajatus obtulit, ſplendidum quidem, ſed non ſine ignis piacularis reliquiis, quibus mox reſtinguendis inquit, paulo poſt inter Cælites ſe futurum. Quem tam celerem in cælum ingreſſum acceptum referebant ſingulari moderationi, qua pertulit ſe non ſine nota à regendo Equitum Panormitano Sodalitio, cui præerat, remo-

tum, aliò amandatum, præbiturum tantùm ibi viris confitentibus aures. Verùm non distulit ad mortem Devs spectatæ tolerantiæ præmia; nam post septennium revocatus Panormum ad ejus sodalitatis præfecturam, & regimen, Procerum occursu, & veluti humeris vectus in Vrbem, alio septennio ibi insumpto quà erudiendis Proceribus, quà egregias in assiduis, molestissimisque morbis patientiæ documentis edendis, vetus illud implevit oraculum *Vaccarum septem pinguium, totidemque macrarum*.

CA-

CAPVT. IV.

Charitas erga proximos, in jisque juvandis Industria.



I gemini ignes Charitatis erga DEVM, & proximum semper æquè collucent, & ardent, quippè quos idem divinus Amor accendit; cum enim DEVS adeo se affici erga mortales ostendat, qui DEVM amat, ab jis amãdis, juvandis, & ad DEVM ducendis cohibere se nullatenus potest; deprehenditurque minus rapidè in DEVM ferri, qui non eodem impetu feratur in proximos. Cum igitur ALOYSIUM divino conflagrantem amore viderimus, jisdem necessè est videamus exæstuantem ardoribus in hominum animis, quà è peccatorum cœno extrahendis, quà ad singularem sanctimoniam provehendis, quà etiam corporibus ipsis sublevandis.

vandis. In quo genere centimanus apparebat: dum concionaretur in Collegiis, quo penso persoluto, satis superque sibi fecisse non nemo censeat, laboriosissimas adjungebat cōcionibus appendices, nosocomia adibat, ergastulis se abdebat, conscendebat triremes, egentes visebat ægrotos, solator ultroneus, qui rogatus à conveniendis Magnatibus abstinebat, quippè qui Christum quæreret semper latitantem in paupere, cujus fastidium, delicatulum prodit Amorem in DEUM. Sæpissimè concionabatur in triviis; tum ad milites Hispanos in castris Castellana lingua, atque à concione extorquebat frequentissimas homologeses. Ginæcea eo Ignatii Lojolæ libello animorum incantatore, qui Exercitiorum dicitur, adeò feliciter excolebat, ut ex jis non paucæ se nunquam cum viris collocuturas voto nuncupato firmarent: qua occasione non nullas sanctimoniales designabat, quæ statis colloquiis, piisque exercitationibus

arctio-

arctiorem sanctimoniam in se ipsis custodirent, aliis ad æmulationem exemplo suo excitatis.

Egentes puellas, quibus esset forma periculo, diligentissimè conquisitas, matronis ditioribus educandas, sustentandasque dividere consueverat; apud quas adultæ idoneis viris dabantur nuptui, nonnunquam dote ab earundem pietate impetrata. Cum cresceret numerus, uxoribus artificum acu pingentium commendabat, corrogata stipe, ne illis gravior esset impensa, lucrosamque artem sibi interim pro dote compararent. Hujusmodi adolescentulas ipse per celeberrima compita deducebat, à parente suo optimo id mutuatus Ignatio, qui grandis natu, Præpositus Generalis meretriculas resipiscentes antecedere ipsemet, ac perductoris quodammodo munere fungi Christi causa non erubescebat; à quo egregium illud etiam ebibit, cum dicenti, Ignatium in jis oleum, & operam perdere; Ego

ve-

verò, inquit, cujuslibet istarum, unius dumtaxat noctis impedire flagitia, & injurias in Devm omnis operę, ac vigilantiæ pretium duxerim: quo doctus oraculo cum per prostribula pertransiret, meretricibus pecuniam erogabat, rogans ne ea nocte peccarent, accepto jam à Deo pretio, quod damno suo accepturæ fuissent à malo Dæmone. Misserrimo illi erronum Ægyptiorum generi, quos Zingaros vocant, sedem attribuit, & Catechesim. Circumforaneas mulieres Agyrtarum comites venena potius propinantium, quàm antidota distrahentium, prodire vetabat in publicum: si secus fecissent ipse conscenso scamno eodem, & Crucifixi vexillum expandens, è loco dimovebat, & lucro; quare satius illi ducebant sine mulieribus conscendere, quàm facessere cum pedissequis. Cum aliud non posset, obvium quemque ignitis sensiculis inflammabat; & rusticos ipso in itinere ad consalutandam Dei-

parам,

param, ad Euchariſtiam adorandam, ad illius uſum proximo die feſto, vel Dominico perfricata memoria invitabat. Hę Aloysii induſtriæ non ſine Deo, quo auctore longè majora patrabantur. In aleatorem ignotum, ludo, ejuſque appendice blaſphemia ad eas rei familiaris redactum anguſtias, ut ab iniiciendis ſibi manibus non longè eſſet, per vicos, & plateas diu quæſitum, tandem incidit; prehenſumque manu blandiſſimè eſt alloquutus; promiſſiſque veſtibus, cum jam ſeminudus incederet, extorſit, ut polliceretur ſe apud ſocium peccata depoſiturum. Operam ſuam ſocius confitenti navavit egregiè; cumque multo poſt tempore percontaretur ab Aloysio, quid illi factum eſſet? reſpondit non ſine gemitu: labores omnes pro illo fruſtrà ſuſceptos; vivere jam deſiiſſe peſſimo exitu.

Ad ſceleſti cujuſdam pedes ſe coortis tot lacrymis abjecit, ut ad bonam tandem frugem perduxerit. Rogavit ſemel

nautas, ut ad ingentia illa retia fallendis Thynnis parata accederent. Offendit piscatores in rabiem prope actos, quòd per plures hebdomadas laborantes nihil cæpissent. Iubet eos à peccatis reducere pusillum, Deoque reconciliari, ad reconciliatos Deo, pisces certatim spontè convolaturos. Parverunt illi æquè piscatores, & pisces, hi in retia irrumpentes, illi ad pænitentiam confluentes.

Verùm non semper ille in curandis animis utebatur unguento, ferro etiam usus, & causticis. In Adolescentem à meretriciis amoribus non semel abstractum, non semel reversum ad sordes; excussis toto nisu manibus impegit colaphos. Ille probè tenens quò inusitatæ ille sancti viri blanditiæ pertinerent, adit recta presbiterum, totum virus evomit, & fortè fortuna è Templo digressus iterum incidit in Aloysium, qui eum admovens pectori, arctissimis amplexibus priores colaphos compensavit, verbo nul-

lo

lo in utroque congressu utrinque prolato. Nec semel accidit, ut oculis ipsis, tacitus feriret ad Pœnitentiam. In quo genere illud è multis seligo. Dum in Panormitano degeret domicilio monuit manè socium, se à prandio iturum esse piscatum. Itur ad litus, ibique sistitur, & confabulantem ibi Triremis Celeusten crebris adortus obtutibus, non antè destitit, quàm ille oculorum ictibus, aliò se convertens, sæpius declinatis; tandem se dedit, in eas voces erumpens. Teneo quid innuas, eluam sordes, desine tandem in me obtutus figere, quibus ferior. Tunc Aloysius manu prehensum, & ad proximum Templum Patrum, quibus à Mercede est nomen, ductum, monitumque quàm grave crimen esset abjecta conjuge hærere pellici, quo ille morbo laborabat, fatentem crimina cæpit audire, sed adeò hærentem sordibus, ut vix octavo post die ablutum ritè dimiserit.

Sed major in eo vis ad depellenda vel

antiquissima odia, pacesque firmandas, quæ justum volumen implerent: illud unum præteriri non potest, quod Aloysii sanctimoniam mirè deprædicat. Lucius Pisanus fædissimo ab hoste accepto vulnere Syracusis objerat: viduam conjugem ex acerbissimo mariti funere penè perditam, lacrymisque consepultam, solaturus convenit Aloysius; & primo illo congressu vix extorsit, ut in templo, in quo vir jacebat, ipsa, filiæque sumerent divinas dapes. Invisit secundò, nuncians virum jam frui Deo; & ter, inquit, prò illo ad aras feci; primùm gratias agens Deo, quòd tam benè parato lethum immisisset. Secundùm orans ut à Piaculari igne abstraheret quàm citissimè. Tertiùm, ut cælo reciperet, quod aperiri sibi illico Stephanus vidit, cum lapidantibus pepercisset; imitatus autem est Stephanum Lucius, non ignoscens modò sicario, verùm illius vitæ ità consulens, ut eum prodere nun-

nunquam voluerit: imitetur igitur Sanctum virum Conjux; hoc tamen illa irritata sermone, invehitur in ALOYSIUM, questa, quod, qui hæc resciret, virum occidendum non antè monuerit, ut sibi ab hoste caveret. Cui ille negligendam esse chirothecam, modo integræ sint manus, & digiti; animum in tuto ponendum, corporis facilem esse jacturam. Illa dolore amens negat se recente adhuc vulnere hosti esse parsuram etiam num temerario, à quo uno ictu vir esset perditus: simulque in quatuor filias præsentes intentans digitos, uterumque quinta prole tumentem, parvulumque nepotem, & in semiplenam frumento arcam, conversaque penè furens ad ALOYSIUM: aspice inquit, tot pullos sine cibariis, & suade deinde si potes, ut ignoscam. ALOYSIUS videns totum odii pondus in angustias rei familiaris incumbere, Deoque fretus; quid si, inquit, & alen-


bat dissolvi, & esse cum Christo, cujus hostes acerrimos tamdiu tulerat, & exugendo curaverat, tot haustis fœcibus, ut tandem ipse disrumperetur; & frequenter illud ALOYSIO erat in ore, quod fuerat in votis, Iniquiùs cernenti peccata paciscendum esse cum morte. Ipse compos voti factus plures sibi vitæ annos ademit.



CA-

CAPUT. V.

Corporis afflictatio penè justo severior.



VÆ dè hoc ſparſim tacta ſunt, dicta ſufficerent, niſi longè plura fugiſſent, in loco dicenda; & ex jis nonnulla adeò præter morem, ut niſi juratis teſtibus firmarentur, præter fidem eſſent; ut igitur omittamus tum ea omnia cruciatuum genera, quibus ad mortem adductus eſt, tum alia complura, quæ ei cum noſtratibus Sanctis fuere communia; cujuſmodi ſunt creberrimæ, ſæviſſimæque diverberationes, veſtes cilicinæ, celebriorum dierum pervigilia uno cibarii panis, & aquæ victu traducta; præter ſtata ſingulis hebdomadis ſextæ feriæ, & conſequentis diei jejunia; ad ea ve-

 nio,

antiquissima odia, pacesque firmandas, quæ justum volumen implerent: illud unum præteriri non potest, quod ALOYSII sanctimoniam mirè deprædicat. Lucius Pisanus fœdissimo ab hoste accepto vulnere Syracusis objerat: viduam conjugem ex acerbissimo mariti funere penè perditam, lacrymisque consepultam, solaturus convenit ALOYSIUS; & primo illo congressu vix extorsit, ut in templo, in quo vir jacebat, ipsa, filiæque sumerent divinas dapes. Invisit secundò, nuncians virum jam frui DEO; & ter, inquit, prò illo ad aras feci; primùm gratias agens DEO, quòd tam benè parato lethum immisisset. Secundùm orans ut à Piaculari igne abstraheret quàm citissimè. Tertiùm, ut cælo reciperet, quod aperiri sibi illico Stephanus vidit, cum lapidantibus pepercisset; imitatus autem est Stephanum Lucius, non ignoscens modò sicario, verum illius vitæ ità consulens, ut eum prodere nun-


nunquam voluerit: imitetur igitur Sanctum virum Conjux; hoc tamen illa irritata sermone, invehitur in Aloysium, questa, quod, qui hæc resciret, virum occidendum non antè monuerit, ut sibi ab hoste caveret. Cui ille negligendam esse chirothecam, modo integræ sint manus, & digiti: animum in tuto ponendum, corporis facilem esse jacturam. Illa dolore amens negat se recente adhuc vulnere hosti esse parsuram etiam num temerario, à quo uno ictu vir esset perditus: simulque in quatuor filias præsentes intentans digitos, uterumque quinta prole tumentem, parvulumque nepotem, & in semiplenam frumento arcam, conversaque penè furens ad Aloysium: aspice inquit, tot pullos sine cibariis, & suade deinde si potes, ut ignoscam. Aloysius videns totum odii pondus in angustias rei familiaris incumbere, Deoque fretus; quid si, inquit, & alen-

dæ familiæ, & filiabus nuptui tradendis idoneus sponsor accedat? simul homine major, deoque plenus ad arcam accedens, hanc, inquit, ea benedictione impertio, qua DEVS benedixit Abram, Isaac, & Iacob. Arca nunquam deficiet de domo tua. Filiæ tuę in circuitu mensæ tuæ. Labores manuum tuarum quia manducabis, beata es, & benè tibi erit. Est ne quod quæras ulterius? Flavia, hoc viduæ nomen, attonita primùm, sensimque DEO illustrante, mutata, publico monumento hosti pepercit; semper magis, magisque mirata, cum quæ ille prædixerat, videret impleri. Non modò nihil unquam illi defuit, sed res omnes, modò arcam contingerent, ità amplificabantur, ut & ædes extrueret, & filias in matrimonio honestissimè collocaret; ex quibus natu maxima ter nupsit dote non contemnenda, fretaque primogenituræ beneficio in ercíscunda

hære-

hæreditate Arcam elegit, tantæ in ea familia existimationis, venerationisque, ut nulla re, nisi inde priùs extracta, uterentur, non cibo, non veste, non supellectili, non pecunia; & in quadam maxima caritate annonæ, bini frumenti modii, qui spectabant ad consanguineum, ibidem clausi, ad quadraginta excrevere; quinis ab illo Arcæ persolutis, non immemore beneficii. Diù nos diuturnum prodigium tenuit: breviora nunc omittentes, ad eam Charitatis ALOYSII in proximos radicem veniamus, qua aliis semper profuit voce, manu, consilio, precibus, sibi tantùm erat exitio. Opem sedulam, assiduamque ferebat corporibus ALOYSIUS, quò permearet in animos; &, ubi in hos pervasisset, totum ab eis peccati virus exugeret; quod cum non posset omnino concoquere, post insignem præsertim aliquam conversionem ægrotabat, tanto in injuriis DEO illatis discruciabatur dolore. Iamque pertæsus cupie-


bat dissolvi, & esse cum Christo, cujus hostes acerrimos tamdiu tulerat, & exugendo curaverat, tot haustis fœcibus, ut tandem ipse disrumperetur; & frequenter illud ALOYSIO erat in ore; quod fuerat in votis, Iniquiùs cernenti peccata paciscendum esse cum morte. Ipse compos voti factus plures sibi vitæ annos ademit.



CA-

CAPUT. V.

Corporis afflictatio penè justo severior.



QVÆ dè hoc ſparſim tacta ſunt, dicta ſufficerent, niſi longè plura fugiſſent, in loco dicenda; & ex jis nonnulla adeò præter morem, ut niſi juratis teſtibus firmarentur, præter fidem eſſent; ut igitur omittamus tum ea omnia cruciatuum genera, quibus ad mortem adductus eſt, tum alia complura, quæ ei cum noſtratibus Sanctis fuere communia; cujuſmodi ſunt creberrimæ, ſæviſſimæque diverberationes, veſtes cilicinæ, celebriorum dierum pervigilia uno cibarii panis, & aquæ victu traducta; præter ſtata ſingulis hebdomadis ſextæ feriæ, & conſequentis diei jejunia; ad ea ve-

nio, quæ afflictationem corporis æquè, ac ingenium, totumque Aloysium in eo positum ostendunt; ut catenato veluti altero alterum se excipiente tormentorũ genere corpus arroderet, ac dilaniaret. Binis cuspidatis catenis ferreis ab humeris hinc inde pendentibus ad ilia, ibique fibula junctis semper incedebat armatus; utramque tertia Zona secabat ferrea medium cingens: has per se crudeles ad feriendum excitabat ea artuum, corporisque agitatione, qua expertus fuerat eas acriùs efferari; cujusmodi erat ità brachia in crucem conformare, ut altero alterum esset erectius, quò latus utrumque impari laniena, pari dolore vexaretur, hinc coacervatis cuspidibus, inde cursim fodicantibus. Et quamvis ad arrectarium sedilis tergum corpus nunquam applicaret, admovebat tamen, & quidem validiùs subinde, quò altiùs figerentur cuspides catenarum; quæ proindè, uti etiam alia flagra ferreis rotulis as-

asperata, quibus se in suggestu diverberabat, resperſæ sanguine cernebantur.

Sed demus equum in cursu tam inclementer habitum, extimulatumque: at illi neque in capiendo cibo, somnoque parsum, quis ferat in immiti agasone, ne dum in domino? Cum interdictis sibi jejuniis pranderet lautiùs, in escarum tractatione, secando, intingendo, miscendo, condiendo non modò nitebatur fallere oculos accumbentium, & velare abstinentiam suam, verùm etiam gulosus videri. Et verò id impetrasset, adeò solerter id faciebat, nisi eum tota vitæ series prodidisset, quæ omnium oculos ad observandum excitabat, tunc spectatores attonitos, testes nunc locupletes.

Ergò illi solemne fuit interdicto sibi omni deliciarum genere, quæcumque vilia, quæcumque essent inamæna, amaraque conquirere; si quis bolus saperet palato, eum admovere ori, quò gulam acriùs irritaret; ir-

ritatamque denegando magis magisque cō-primeret: detractos ficubus cortices vorare, jis integris in mendicabula dispertiendis relictis; crudos, atque immites in cibum fructus seligere, maturis Deo libatis. Rejectaneis etiam malorum aureorum adhuc viridantium globulis detractum corticem, quo ad frangendum guttur nihil aptius excogitari potest, conscissum, minutatimque concisum miscebat eduliis: cum rus pergeret, capnum legebat in cibum, herbam scilicet amarissimam, cumque rogaretur, cur hujmodi gulę venena gustaret; illud fovendo stomacho, hoc jecinori purgando experientissimus videlicèt domandi palati medicus utile dictitabat. Lac diluebat aceto, amarulentis succis vinum; nec ulla erat potio, vel cibus, quē non antè corrumperet, quàm ori ad supplicium admoveret. Ad hæc vellebat & temporibus pilos, & succrescentia in unguibus fila, quæ nec tangi sine maximo doloris sensu possunt. Nec

raró

rarò cultro manibus levia infligebat vulnera sale, acetoque infuso sananda, hyeme nudis humeris nives, in summis caloribus calidam pectori, ferventemque aquam admovebat; & maximis itinerum molestiis illud addebat, ut immittens dumetis manus sanguinolentas extraheret; tormenti genus, quo multa cælitùs impetrabat. Inter quæ illud, dum arator quidam ad exhomologesim se parat, ne quid operæ ei depereat, admovet ALOYSIUS stiuę manum, eoque terram versante, bovis pes vomere vulneratur: Sed facilis remedio via: ALOYSIUS manus spinis lancinat; bosque è vestigio sine vulnere; uti & arator p homologesim sine noxis apparuit.

VERÙM ne ALOYSII manibus humeri inviderent, eos sæpè in mediis campis lumborum tenus nudatus in dumeta, Benedictum imitatus, injecit. Quod quamquam ipse conaretur occulere, cavere tamen non potuit, quin in Sancti Stephani propè Messanam campis

bis

bis obſervaretur, ſemel à Bernardino Giardina, & Paulo filio; iterum à Franciſco, & Maria Vitali conjugibus; à quibus ſe deprehenſum ſceleri ſibi adſcribens, ut in ſe lapides jacerent, impetravit. Sed quota hæc ejus inclementiæ pars? non abdomen modo, humeroſque, & ſerviles artus ſubegit, verùm etiam alias affectiones, & flecti neſcias, & dedignantes ſervitium miſit ſub jugum. Mitto injurias non æquo tantum animo, ſed etiam hilari toleratas; id enim ad ſui deſpicientiam magis ſpectat, quàm cruciatum. Curſim quæ ſunt hujus loci perſtringo.

Dvo erant, in quæ Aloysius ſuopte ferebatur ingenio, exquiſitiſſima mundities, & delicatiſſimum in convictu faſtidium; utrumque vicit, jis victoriæ monumentis, ut verendum maximè ſit, ne eorum enarratio nauſeam pariat. Et munditiem quidem commendatione dignam, ſi intra fines ſuos ſiſtat, quo-

niam

niam videbat ad alterum extremum vergere, convertebat ad alterum; & quæ ſibi ad ſui victoriam licere putabat, obibat egregiè, lacer, ſuffarcinatus, malè præcinctus, obverſa gerens tibialia, pilei latera ad mentum demiſſa, & alia hujuſmodi; petens enixè, ut alia etiam ſibi in hanc rem uſurpare liceret, oleo, jure, fæcibus veſtes commaculando.

Mavus opus in vincendo ſtomachi faſtidio nullis legibus obnoxio: ad hanc victoriam prælusit, Noſocomia, Triremes, Ergaſtula, Stabula obeundo. Carnium analecta in menſa edendo, & victitando rejectaneis; & calidam quibus illa perpurgantur exorbendo. Ægerrimè à ſe ferri ſentiens labia admovere calici, in quo alter bibiſſet, ex oſſeo calice viatorio, quo utebatur, bibendi copiam faciebat mendicabulis, bubulcis, agaſonibus. Movebat illi nauſeam quidam è ſociis immodicè excreans inter edendum.

Non

Non moveri, non conqueri, non declinare convivam, cum posset, aliorum preclarum facinus fuisset, Aloysii illud fuit, assidere; & frustulum panis, seu casu, seu arte in terram decidens resumere, fœdaque illa excreatione intinctum, abligurire, socio, qui id advertit, attonito, & emendato.

Aderat Messanæ morienti mancipio, sordes, fœcesque cum anima egerenti; excipiebat eas suo sudariolo Aloysius, qui ut sensit reflantem stomachum, domiturus rebellem, exuxit sudarium, stupente æquè mancipio animam agente, quod in posterum tenuit excreationem, ac Aloysii socio; qui factum quamvis rogatus enixè, ut taceret, non se tenuit, quin Rectori totum aperiret, maximo suo stupore, & virtutis compendio, dictitans: Tanti viri exemplo ad omnia toleranda paratum.

Mænis quartam horæ partem solidam lambendo porriginoso insumpsit.

Mes-

Messanæ cubiculum quoddam ingressus, offensusque odore intolerabili; quasi verò humana ista pati, crimen esset, ollam glutinis corrupti, quæ tum tetrum afflabat odorem, totam exhausit, tanto horrore viscerum, ut ea pænè effuderit, nec minore Æditui, qui eum deprehendit. Fateor me nauseam tenere diutiùs non posse scribendo, quam ille constantissimè retinuit sorbendo ea, quæ aures ipsæ ferre non possunt. Vincat tamen, uti ego calamum, ita lector oculos, in eo tantùm contemplando, in quo Aloysius Franciscum Xaverium, & Catharinam Senensem felicissimè est æmulatus. Dùm apud Leontinos degeret verno jejunio concionator, nocte concubia audit in trivio mendiculum ejulantem: Corripit se è stratis, & ad jacentem cum cibis accurrit: negat ille flere se famem, quam præ doloris acerbitate minimè sentiret; usu pedum se à cancrena pri-

 vatum

vatum, depasta jam digitos: ignem unicum morbi remedium, majori sibi horrori esse, quàm mortem; id se timentem fugisse Omodei Pharmacopolæ domo, in qua tractabatur humanitèr, opem igitur ferret, & quoniam sanctus esset, redderet sanitatem. Suscepit id se facturum Aloysius, modò silentium se servaturum promitteret; detectisque ulceribus, quæ sævam exhalabant Mephitim, vel in trivio non ferendam, quò se magis repelli, stomacho nauseante, sentit, eò avidiora sugendæ saniei labia admovit; nec cessit, donec toto pure exucto, æger levatum se dolore clamans cænatus quievit. Postridiè ægrum à viro nobili domi suæ exceptum invisit Aloysius, & remotis arbitris, in speciem ejus pascendi, & solandi, ad teterrimi, qui succreverat humoris succum sitiens rediit: idque per dies undeviginti luce, noctuque factitatum: quo transa-

cto tempore, dimisit incolumem, ea lege, ut aliò commigraret: nec diuturnitas curationis quidquam prodigio detrahit; nam sanare distulit adeò usque, dum ipse abscedens, si ille promissam silentii fidem violasset, absentia saltem plausus, acclamationesque consecuturas effugeret.



CAPVT. VI.

Humilitas, & sui despicientia.



TRIA in sanctorum virorum gestis maximè stupeo; primum est, eos in tanto divinorum donorum affluentia, quę pumilionem eveherent, cogerentque se circumspicere, dè se tamen tam demissè, abjectèque sentire. Alterum, certamen eos inter, & DEVM, ut quò se magis ipsi deiiciunt, deprimuntque, à DEO altiùs attollantur. Tertiùm, DEVM in tanto eorum efferendorum studio, ità tamen sapientissimè omnia moderari, ut summos inter honores, quos jis vult haberi, contemptus tamen, & injuriarum etiam materiam non rarò suppeditet. Et priora quidem duo in ALOYSII vitam curiosiùs intuenti meridiana luce ipsa apparent; qua-

quare hìc ex postremo tantùm nonnulla delibo.

Drepani dum ludi magistrum ageret, efferatus quamvis justa verberatione discipulus, tot eum contumeliis oneravit, ut auditores omnes exhorrescerent. Ipse ad conviciantis pedes abjectus, eosque exosculatus, sibi ab irato rogat ignosci. Pollicetur se in posterum alterum cum eo futurum. Stetitque promissis, tam enim humaniter, tam blandè eum deinceps habuit, blanditiis, munusculis, honore, & omni amoris significatione deliniens, ut ipsi adolescentes hærerent stupore defixi. Discolo huic adolescenti dè sancto preceptore tam pessimè merito pessimè omnes ominabantur; sed Devs monstra vertit in bonum; nam ei eam mentem immisit, ut religioso severioris disciplinæ cætui nomen daret; quod ingens ille beneficium Aloysii precibus referebat acceptum. Quæ erat Petri Fabri sententia: Sinere Devm maximas irrogari ser-

servis suis iniurias, quò eorum magnanimitate, & inimicorum tantoperè sibi grata dilectione permotus, ignoscat jis, quibus non fuerat alioqui parsurus.

Non tam prosperè cesserunt aliis collatæ in Aloysium injuriæ: Discessurum ex oppido, cui nomen Eniso, jam jamque insilientem in equum, obvallatumque oppidanis ultimum vale præstolantibus sistit uterque magistratus sacer, & profanus, suboffensus, quòd in templo maximo concionatus fuisset, petente id populo, spreta sua ipsorum Ecclesia; queriturque elato supercilio, qua facultate indulgentias promulgasset. Aloysius, nihilo commotus sacculum evolvens inventas patentes literas, per quas id sibi liceret, ostendit. Hæc est illa eadem charta, inquiens, quam huc ingressus ostendi Vicario recusanti. Atqui, Vicarius excipit, tunc nolui, nunc volo; est ne quod carpas? Bene est, inquit, Aloysius, imo laude dignissimus, qui fun-

fungitur munere ſuo. Illi conjecturi fortaſſe Aloysium in vincula ſi, ſontem deprehendiſſent; ubi eum viderunt facultate ſatis inſtructum, inurbaniſſimè inſalutato Aloysio diſceſſerunt. Qui ea moderatione non contentus, in trivio illis occurrens; ex equo deſiliit, & veniam, pacemque orans, amplexatus eſt arctiſſimè. Sed omnes intra tres menſes extinctos non ſine viſcerum dolore acerbiſſimo, arbitratus eſt populus dediſſe inurbanitatis ſuæ pœnas, & irrogatarum Aloysio injuriarum.

Procacior fœmina, quæ non impetrato per eum Virgunculæ filiæ ingreſſu, quem ſperabat, in Parthenonem, cui nomen Monti Pietatis, in publicis viis incedentem proſequuta eſt eo contumeliarum apparatu, quem aures caſtæ non ferrent, inter quas illud horrendum dictu, Aloysium Scortis faventem, à Virginibus abhorrere. Silente placidiſſimè Aloysio, & confluente

ente jam ad clamorem multitudine, Socius, ut furentem leniret, turbamque à muliere excitatam comprimeret, significavit iratę, potentioribus negatum idem, quod Aloysius non impetraverat, proinde quiesceret: tum Aloysius æquè silentio, ac voce pacatior. Ità est, audisti soror, quiesce.

Nec meliùs habitus est ab impudico, quem domi suæ conventum, ut à libidinum cęno extraheret, expertus est hostē acerrimum, à quo domo pulsus non sine verberum minis, atque conviciis.

Tanta in subitis casibus animi moderatio publica ortum trahebat ab ea contemptus sui palæstra, ubi se se in umbra exercens proludebat ad prælium. In quo genere facilius est principium invenire, quàm exitum. Compluribus igitur id genus industriis, jisque quas suprà commemoravimus, omissis; ad alia omninò integra veniamus.

Ingressus quispiam in ejus absentis cubicu-

bicu-

biculum, tot fædis nomenclationibus, quibus se identidem compellabat, refertissimum indicem reperit; ut si unam tantùm ex jis in mediastinum è fæce populi quis jaceret, peccaret lethaliter; ipse in eorum cœno innatabat, qui cum non posset, ut voluisset, dulciori modulatione audire ab aliis, ipse sibi ea accinebat: atque ut manarent ad alios, eo usus est astu, ut probra majuscula chartulis exarata, signorum loco libello precum clauderet, quò per aliorum manus, ut sæpè fit, eunte, irent etiam suæ ignominiæ; quod ubi rescivere Antistites severo interdicto vetuerunt. Hunc libellum edi voluisset in lucem; uti ex altero, quem suo nomine præfixo vidit venalem lingua Castellana, eo titulo: *Antidotum contra tartaream pestem noxæ lethalis*, Nomine auctoris, & operis titulo uncialibus literis præ Bibliothecariis foribus suspenso;

ubi vidit impetrari non posse, ut suum nomen abraderetur; omnia coëmit exemplaria, daturus flammis, quæ Typographus in lucem ediderat.

Nihil illi fama sua, celebritate nominis, opinione Sanctitatis infestius. Hinc publicum, & Magnates vitabat: vocatus sæpè à Marchione Velensi Prorege, in postremo morbo desiderari se passus est usque, eò dum jussus accessit. Ad Marchionis Tarifæ Proregis unigenæ adventum in domum Professam cohonestandum, dum domestici omnes certatim accurrunt; vocatus à sociis Aloysius subterfugit; mox veritus ne iterum vocaretur, inter ligna in subterranea crypta delituit: Iussu Principis sæpè vocatus, diù quæsitus, nusquam inventus, donec qui ejus astus callebat ratus id quod erat, inter ligna abditum, obtentu præcipientis imperii extraxit è specu. Comitis Stabuli Columnæ filii Panormo discessuri Romam, dum qua erant humanitate, com-

commeatum à Patribus petunt, & innuunt Aloysio oratum iri à ſe Chriſti Vicarium, ut eum Romam vocet: Atqui, inquit ipſe, ego Chriſtum rogabo, ut vobis mei memoria excidat; cumque vocato à Cardinali Triultio magnos ei honores ominarentur; reſpondit: minimè vereri ſe, ne tam cordatus Princeps in iſtiuſmodi laberetur ineptias: ſi ſecus faceret tot ei, tamquæ enormia ſua probra detecturum, ut abſtineret. Deſideratum in aulis Procerum, non ſe eorumdem deſiderari patiebatur in ſtabulis ad equiſones, rhedarios, alioſque infimi ſervitii famulos, vel erudiendos in Chriſti doctrina, vel juvandos in morbis; atque honores ſibi à principibus viris habitos, ne meraciùs hauſti nocerent, hujuſmodi ſorbitiunculis diluebat. Quo in genere, Meſſanæ ſe ipſum viciſſe videtur. Concionatùs ibi ſummos plauſus tulerat; quos more ſuo temperaturus, cum vacabat, noſocomium in paucis celebre obibat, in

quo præter insanas substructiones, proventusque regios flos Procerum ægris curandis advigilat; in illo igitur nobilitatis trophæo egregia contemptus sui positurus monumenta præter alia mediastinorum munera trullas, & lasana, aliaquè id genus vasa per ingentia illa ambulacra suspensa purgaturus ferebat, referebatque perpurgata, attonitis spectaculo omnibus, socio etiam rubore suffuso quòd victum se videret ab Aloysio, qui à se fuerat vincendus; quare is manum operi admovit; respuit tamen Aloysius socium, addens, si se sequi vellet, non deesse alia ejusmodi fercula; quare quisque onus suum portaret. Nec factitatum id semel.

Aci in oppido propè Catanã postremos suos quadragesimales labores insigni aliquo facinore censuit obsignandos. Discessurus ex Vrbibus, quò honores sibi haberi solitos declinaret, vel antè lucem, vel simulato in vicinis locis negotio, digressus, quasi mox reversurus, insalutatis civibus evadebat.

debat. Acenses id odorati benè matutini conveniunt, & atrium occupant; rogat Aloysius, ut abeant. Vbi se videt non exaudiri, ut ex tanta multitudine insignem aliquam sui reportaret victoriam; arrepto vase in quo ventrem exoneraverat, per confertam multitudinem ducit, reducitque, conscensoque asino jubet plaudi equo, & equiti consueto sarcasmo, quo lepidè jumenti nomen in sessorem deflectunt. Postremus hic apud Acenses actus ridentem habuit Aloysium, serios verò, semperque mirantes Auditores. Postremus item apud Alicatenses utrosque plorantes, singultantesque. Alicatæ postremam concionem iis verbis clausit Apostoli *Quod faciem ejus non amplius essent visuri*; Et satis id erat ad uberrimas à concione lacrymas exprimendas; sed non satis erat Aloysio alienus proventus, quare ut compendio etiam suo postremus

mus ille actus absolveretur, ea sibi probra objecit, tam fœdas appellationes indidit, ut non modò auditores ejulatibus complerent omnia, sed ipse etiam solutus in lacrymas, non ferens ruborem, quo suffusus erat, quamvis hujusmodi ictibus jam callum obduxerat, obvoluto vultu singultiens abjerit.

Hæc, & alia plura, quę eminent, plurimi æstimat vulgus, minutiora pluris faciunt sapientes, cujusmodi erat, vitare conspectum, quasi verò sociorum impar esset convictui: si quando colloquendum esset, humilioribus semper hærere; tacere ferè semper, nisi in Coadiutores incideret: sentire, & seriò dicere, nisi Devs sibi aliquam ad excursiones facultatem indidisset, ejiciendum è Societate fuisse, cum tamen omnibus corporis, animisque dotibus abundè esset instructus; ad laudes etiam privatas, & inter amicos non expallescere modò, sed & irasci; & cum mitissimus esset in ea etiam

cum

cum primariis viris, quos impenſiſſimè colebat erumpere, quæ niſi à ſui deſpicientia ortum habuiſſent, minimè probarentur, faſtumque iracundiæ mixtum ſubolerent. Memoratus ſuper Clavellus Dominicanus, quo utebatur familiariſſimè, commendabat ejus labores, lucrumque inde proveniens, ſanctitatis opinionem, in qua apud omnes erat, teſte ſe oculato, qui inſulam concionando peragraverat. Tunc ALOYSIUS ſeveriorem induens vultum ſuboffenſus, negauit dè homine tam nefario dici, quæ ille memoraverat; & aliquanto commotior monuit laudatorem, ni vellet veterem amicitiam tunc ſcindi, ab hujuſmodi ſermonibus abſtineret. Nihilo mitiorem expertus eſt quidam è noſtris Sacerdos, futurus ejus comes expeditionum. Hic inviſentem ſe ALOYSIUM rogauit, ut juberet morbum, quo laborabat faceſſere, quò expeditior eſſet ad iter alioqui differendum. ALOYSIUS immotus ad contumelias, hoc enim

verò

verò tulit ægerrimè, & ægro insalutato discedens, recta adiit Antistitem; impetratoque alio socio, ægrum, pro quo tantùm eò accesserat, reliquit nunquam resumpturus in posterum. Cætera omitto, id unum enarraturus, ex quo liceat conjecturam facere reliquorum.

Faciem sibi contundi diù irritis votis optaverat; verùm quia, quod diù mente concoquimus, tandem aliquando erumpit in opus; modum excogitavit, quo tamdiu concupitis calcibus frueretur; à Domus Præposito impetravit, ut liceret sibi sacris operari in sacello domestico, quò & sacrum longiùs traheret, & vitaret eam, quam ipse maximam putabat injuriam, cum post se in templo ad sacrum peragendum egredientem, concursum fieri videret, audiretque se mutuo invitantes, ut ad Sancti viri missam accederent. Ministrum sibi addi petiit domus famulum, qui Societatem petebat ardentissimè, nactus opportunitatem

Aloy-

Aloysius ſimplicem hominem circumvenit egregiè. Docet per unam cæcam obedientiam patere in Societatem aditum; ſi quæ ipſe imperaret, impigrè exequeretur, admittendum; ſi renueret excludendum; & quò magis arduum quid juberetur, & in ſpeciem crudele, & impium, promptiùs faciendum, modò idoneum ſuaſorem haberet. Hinc lata cinctum indagine innocentem juvenem urget preſſiùs, rogatque num dicenti ſibi fidem habeat, num obtemperaturus ſit imperanti? annuit: quid enim diceret ille doctus tantum in patinis? Igitur Aloysius certus promiſſi, abjectus, humeroſque ſacelli januę obvertens firmiſſimè, nequis improviſus accederet, Iubeo te, inquit, pedibus ſceleratum hoc caput contundere. Hæſit miſer ille attonitus, reus promiſſi, ſi detrectaret; ſacrilegii, ſi pareret. Aloysius additus portæ pro peſſulo, prohibebat egreſſum, & intercluſum in Societatem aditum minabatur, ſi

renueret, & obligatam falleret fidem. Ille diu reluctatus, diu animi dubius, tandem ineundę Societatis amore victus, minisque viri sanctissimi territus, dedit tandem manus, ægriùs pedes; & venerabunda planta jacentem vix contigit. Aloysius, ut erat solertissimus, vidit se nihil non impetraturum ab eo, à quo applicitos ori pedes extorsisset: perge porrò, inquit, fili, tam suspensum pedem in Societatem minimè inferes. Tunde, retunde merentem; ne dubita. Si me sontem existimas, sonti ne parcas, si non malum, bono tuo jubenti pareas: His homo simplex captiunculis, & sophismatis irretitus, & illius sanctimonia æquè retardatus, ac motus; ubi semel verecundiæ fines transierat, fuit naviter impudens, valenterque contudit jacentem Aloysium, qui sputa etiam obtinuit, & post sputa etiam contumelias: quid enim ab eo non impetraret, à quo calces extorserat? Imperato denique silentio, Aloysius benè con-

contuſus, plenuſque vibicibus, voti compos abſceſſit. Tragicus actus longo poſt tempore deſiit in lepidum. Io: Baptiſta, hoc illi bipedum ſimpliciſſimo nomen, fidem fefellit; & tutis, ut ipſe putabat, auribus factum depoſuit; ſed fracti pænas ſilentii luit, in pede innocenter ſacrilego, illo laborans; donec ad ALOYSII tumulum, urnamque faſſus noxam, repentè convaluit.



CAPVT. VII.

Vitæ Integritas, & cura innocentiæ.



ETSI videri cui poterit ex pervulgata Aloysii divinitus accepta internoſcendarum abditiſſimarum quarumcumque rerum, & animorum facultate ortum habuiſſe eam mixtam timore venerationem; ut non nemo vereretur ad eum accedere, non antè depoſita apud confeſſarium noxarum ſarcina. Ego quamvis non diffiteor, hoc etiam in cauſa eſſe potuiſſe; aliò tamen tanquam in fontem præcipuum refero, in opinionem ſcilicet exquiſitæ munditiei, & ſanctimoniæ, qua veremur illoti ſacra tractare.

Et verò quiſquis eum, pluſquam de facie noſſet, venerabatur tanquam homi-

minem dè cælo delapſum. Fuit qui integras horas in eo aſpiciendo inſumeret, ſentiretque eo conſpecto ad cæleſtia ſe rapi. Fuit qui ibi ſe ſiſteret, quà illi tranſeundum erat, ut conſpectus ab illo tantùm, ad divina incaleſceret. Fuit qui nihil tale cogitans ex fortuito occurſu melior fieret, obtutu illius uſus pro monitore. Nec defuit qui ſolo Aloysii intuitu abactas à ſe lubricas, quibus conflictabatur, moleſtias fateri non erubeſceret. Iam verò pedum ejus veſtigiis oſcula figere, ſiccare ſalivas, lambere pulverem, veſtes contingere & clam diſcerpere, pendere ab ore, hærere in vultu, petere ſalutare ſibi ſignum imprimi, & cætera hujuſmodi quantam pręſe ferunt ſanctimoniæ non vulgaris admirationem? & verò non admirabantur ex nihilo; non enim quacumque erat præditus ſanctimonia, ſed ea, cui innocentia diuturna, & maximi aliorum bono ſuſcepti labores, cum minuta minimarum quarumque legum

cu-

custodia incredibiles conciliare solent amores, & plausus. Octo tantum menses eo modo traducti, quo quinquaginta annos traduxit Aloysius, Stanislaum aris admoverunt. Nec innocentiùs in Tyrocinio Stanislaum vixisse; nec in studiis etiam Gonzagam, idonei testes affirmant.

P. Antoninus Blandus, qui in instituendis tyronibus ipsos triginta annos posuit, ejus vitæ, dum studiis daret operam, attẽtus, assiduusque explorator non aliud expiscatus est crimen, cujus eum publicam jussit in triclinio poenam luere, quàm calceos ejus semel deprehensos non æquè à pariete distare; ex quo æquissimus rerum æstimator conjecturam fecit, quàm esset is innocens, in quo nil peccatum esset ultra crepidam; & quàm verè facta facultate se publicè reprehendendi ea sibi occineret, quæ scelestum apud ignotos proderent, apud notos redderent etiam sanctiorem. Scelera enim sua deprædicare, vel est perditæ nequitiæ, vel sanctitatis

tatis

tatis eximiæ. Sed jam à calceis veniamus ad pedes. Pulchri hi quidem evangelizantium aliis pacem, pulchriores indicentium sibi bellum, interdicto sibi omni alio præter, quàm ex obedientia motu. Non illum loco proceres moverent, ac Dynastæ, si vetitus legibus esset incessus; secus si illæ innuerent, nulli parcebat itineri. Quoties domo egressus inutilem relegebat iter, ut ianitorem moneret ubi quærendus esset, si quæreretur à quopiam; vel ut tabellæ nominum apponeret calculum, absentiæ indicem, quod domo digredientes ritè consuevimus usurpare? Quoties rure inambulans dato domesticarum precum signo, ubi erat, procidebat in genua, consuetarum precum pensum exoluturus? Verrebat noctu alternis diebus cubiculum, cum per diem aliis districtus curis minimè posset; & in excursionibus impetrabat à sociis, ut unus verreret, quod omnes incolerent. Sed fuerit ejus demissionis animi

quòd


quòd tam crebro ſordes converreret è cubiculo, quod eas nullo negotio contrahit. At non erat cur in ſuæ conſcientiæ latebras tam frequens ſpeculator labes quæſiturus, quæ nullæ erant, inſpiceret. Sæpiſſimè, Miſſionum vero tempore, ſemper brachiis in crucem expanſis, ſe ipſum ſingulis horis curioſiùs introſpiciebat. Sanctiſſimum parentem in hoc imitatus Ignatium, qui ſtatis diei horis in ſemetipſum deſcendebat, ſuaque omnia dicta, facta, cogitata, coram Deo diligentiſſimè reputabat; cumque ſcrupuloſiùs intuentibus atomi lapidum ſpeciem induant, deprehenſa, ut ſibi videbatur, noxa, ad Sacerdotis ſe pedes abiiciebat, ſolutionem expoſcens; ille verò repellebat nullius criminis reum, admiratus videri in ſe ipſo à reo, quæ judex non videret; veneratuſque aciem oculorum, qua ſancti viri ſunt præditi, adeò acrem, ut ea pervideant, quæ reliqui ne optico quidem admoto tubo inſpicerent, cape-

rent-

rentque; deputarique inter labes, quæ ipſis appareant ſanctitate pleniſſima: quo uno ille itinere duo conſectabatur; ut ſcilicet, quò fieret purior, eò maculoſior appareret; in quorum alterum quantum collineavit, tantundem aberravit ab altero; nam quò à ſe ſanctimoniæ famam ſtudioſiùs conabatur avertere, eò ſibi illius opinionem magis aſſerebat; & quò ipſe ſæpius ad lavacrum accurrens, apparere volebat fœdior, eò innocentior habebatur. Nec ad altiſſimam ejus innocentiam perveſtigandam aptiorem hac bolidem ejus confeſſarii habuerunt; nam qui labecularum adumbrationes deteſtabatur tantopere, ut toties excipientibus ejus confeſſiones obtruderet, qui cælaſſet, ſi graviori noxæ unquam fuiſſet obnoxius? Quot quot autem eum confitentem audierunt, ſanctè affirmant, vix in illo unquam tantum labeculæ reperiſſe, quin illi abluendæ guttula una eſſet ſatis, ſuperque. Ad ſuæ munimen-

tum, & incrementum innocentiæ non modò erat in internoſcendis labeculis oculatus, & lynceus; verùm etiam æquè erat in ſequendo divino ductu celer, & alipes. Incredibile dictu eſt, quàm attentè DEVM audiret loquentem, quàm exquiſitè pareret ejus nutibus, & ſibilis, ne dum verbis. Hinc erat ut ſæpè ab incepto deſiſteret, DEO ad aliud impellente: quod adeò frequentèr accidere etiam ſocii advertebant; ut apud illos eſſet in paræmia, quoties illum videbant à deſtinato opere re infecta ad aliud converti: Iam poſuit, flante altero, ventus prior. Iam verò quàm illimem, purumque neceſſe eſt eum fuiſſe, qui in ſe cuſtodiendo, tam vigil, cæloque uſus tam propitio, ad innocentiam velis, remiſque contenderet? Sed ad ea, quæ eminent veniamus; nam licet ſit maximus labor in tenui; non tamen par eſt apud omnes gloria; cum minuti operis pauci oppidò æqui

qui æstimatores reperiantur: quis enim satis capiat inexpertus, quantæ molestię, quàm intolerandi laboris sit minutissimis legibus alligari, & undecumque circumretiri, non liberum habere pedem, non manum, non nutus, nusquam sui juris esse, nihil sibi integrum relinqui? Hujus immitissimi, & nunquam pœnarum saturi Equulei ærumnas is tantum novit, qui indè pendet; Aspicientes minimi faciunt, cum non videant vulnera, & sanguinem, nec pendentium ejulatus exaudiant; iisque ferendis se pares existimarent, nisi votorum religiosorum clavis, quibus crucifigendi essent, exterrerentur.



CAPVT. VIII.

Diligens Votorum custodia.



VÆ semel Aloysius Deo vota nuncupavit amantissimè, reddidit semper cumulatissimè. Et Paupertatis quidem fuit non modò cultor eximius, sed amator; eam in deliciis, eam loco parentis habuit; cui non famulatum modò, sed obsequia, & blanditias se debere putabat. Et quoniam illud est cupiditatis ingenium, ut malit totam pati repulsam, quàm uno, vel altero impetrato, cætera denegari; & æquiùs ferat se totam excindi, quàm vel ramusculum unum, aut folium integro trunco concuti; securim ad radicem admovit ità, ut nihil illo spoliatius, nihil esset egentius. Humus illi nuda,

vel

vel aſſeres prò ſtrato; niſi eum moderatores culcitis, ac lodici affixiſſent: in crucem enim agi ſe putabat, cum ejuſmodi ſibi, ut videbantur, prǫciperentur deliciæ; eratque in jis undè cruciaretur, impetrandis, effugiendiſque commodis tam importunus, tam efficax, ut tandem aliquando ejus precibus, lacrymiſque fatigati, & rationibus in hoc genere acutiſſimis victi, eum ſibi relinquere, hoſti ſcilicèt ſui infeſtiſſimo cogerentur. Dormientis lectulus, vigilantis veſtibus non multum invidebat, nam dempta ſacerdotalis decoris cura, cui Antiſtites advigilabant, nihil illius amictu obſoletius. Vilia ſemper indumenta, plerumque conſciſſa, nonnunquam etiam ſordida, vel caſu, vel induſtria, totum corporis indumentum ità attritum, ut ſi cuſtos veſtium ad mortuum aliquem amiciendum deterrimum quæreret, fuiſſet ſumendum ab Aloysio. Iuvabat ejus paupertatem

popu-

populorum pietas ; qui ejus pallium ad osculum arripientes , vel particulas ad asservandum mordicùs abscindentes , cogebant attrito semper pallio incedere : Et pallium quidem idem erat urbanum , ac viatorium : Gausapinam senex jussus induere , induit , sed eam quæ non minus obedientiæ serviret , quàm paupertati ; nec temporum injurias prohiberet , sed plausum hominum , quem ante abiecta viatoria penula , in difficillimis itineribus conciliabat . A chirothecis semper abstinuit ; hinc manus minimè protectas , semper diffractas habebat , & sanguine diffluentes ; quas , ad doloris coronidem , sale , acetoque perfricabat. Nec multum absimilis supellex cubiculi ; quam ab Eliseo mutuatum diceres , cujus totus census *Erat lectulus , sella , candelabrum* . Erat etiam vis magna icuncularum , sed charthacearum , quæ omnes vænirent teruncio : Erat in ejus gaza pergrandis lapis

pis metallicus, cujus pellucido puluiſculo reſperſę charthaceæ icunculę inter pueros diſpertiendæ collucebant: hunc lapidem, vel quòd pretioſum duceret, vel quòd erga eum ſe nimis affici videret ad Prępoſitum Meſſanenſem primùm, tum ad Panormitanum duxit, eo ſe ſpoliari velle dicens; à quibus edoctus has eſſe Iri, non Cręſi divitias, non acquievit, donec acciperent. Quo demum abdicato omnes ſuas facultates, univerſamque cupiditatem dilapidavit. Sed hoc commune cum multis; illud hactenus, quod ſciam, nunquam auditum: conciones etiam à ſe ſcriptas Bibliothecario tradidit, ut publici juris faceret; & ingenii ſui partus, quò magis vileſcerent voluit eſſe expoſitos ipſo ſuperſtite, quòd alii facere conſuerunt ab obitu. Ejuſdem paupertatis ſtudio nummos nunquam contigit, eamque curam alteri ſociorum demandabat, quamquam ad eum ſpectaret,

populorum pietas ; qui ejus pallium ad osculum arripientes, vel particulas ad asservandum mordicùs abscindentes, cogebant attrito semper pallio incedere: Et pallium quidem idem erat urbanum, ac viatorium : Gausapinam senex jussus induere, induit, sed eam quæ non minus obedientiæ serviret, quàm paupertati ; nec temporum injurias prohiberet, sed plausum hominum, quem ante abiecta viatoria penula, in difficillimis itineribus conciliabat. A chirothecis semper abstinuit ; hinc manus minimè protectas, semper diffractas habebat, & sanguine diffluentes ; quas, ad doloris coronidem, sale, acetoque perfricabat. Nec multum absimilis supellex cubiculi ; quam ab Eliseo mutuatum diceres, cujus totus census *Erat lectulus, sella, candelabrum*. Erat etiam vis magna icuncularum, sed chartacearum, quæ omnes vænirent teruncio : Erat in ejus gaza pergrandis lapis

pis metallicus, cujus pellucido puluiſculo reſperſę charthaceæ icunculę inter pueros diſpertiendæ collucebant: hunc lapidem, vel quòd pretioſum duceret, vel quòd erga eum ſe nimis affici videret ad Prępoſitum Meſſanenſem primùm, tum ad Panormitanum duxit, eo ſe ſpoliari velle dicens; à quibus edoctus has eſſe Iri, non Cręſi divitias, non acquievit, donec acciperent. Quo demum abdicato omnes ſuas facultates, univerſamque cupiditatem dilapidavit. Sed hoc commune cum multis; illud hactenus, quod ſciam, nunquam auditum: conciones etiam à ſe ſcriptas Bibliothecario tradidit, ut publici juris faceret; & ingenii ſui partus, quò magis vileſcerent voluit eſſe expoſitos ipſo ſuperſtite, quòd alii facere conſuerunt ab obitu. Ejuſdem paupertatis ſtudio nummos nunquam contigit, eamque curam alteri ſociorum demandabat, quamquam ad eum ſpectaret,

ctaret; utebaturque sua facultate in abdicatione pecuniæ. Sed pecuniæ, supellectilis, vestiumque neglectus partus quidem est paupertatis; non tamen primogenitus, quo jure gaudet cibi, potusque egestas; cum videamus mendicabula, magis dè ventre, quàm dè veste sollicita. Et bruta ipsa, quæ indumentorum cura minus tanguntur, optima quæque conquirunt pabula, nec sine salsamento oves pascuntur, & piscium maximi à retibus, & fuscina tuti, hamo tamen capiuntur; & escis. Quantum verò gulæ suæ tortor fuerit ALOYSIUS; etsi ea, quæ sparsim dicta sunt ostendunt, non nihil tamen libabimus, quod, & cruciandi corporis, & præseferendę studium paupertatis evincat. Et quidem omphacio merum diluere, amarissimis succis condire edulia, utrumque tam parcè sumere, ut esuriret semper, & sitiret, omni interdum potione abstinere, macerare sumptum cibum aqua,
quam,

quam, manus, osque abluens, volâ sorbebat, & alia hujusmodi plurima illum voluntariæ paupertatis, & cruciatuum sitientissimum fuisse ostendunt. Illa puram sapiunt mendicitatem. In triclinio ad aliorum pedes abjectum sumere cibos, quos, modò stipem à sedentibus in mendiculi morem corrogando; modò, qui aliis supererant colligendo in patinam unam redactos, non nunquam etiam ex olla in quam prandii, cænæque reliquiæ conjiciuntur, erogandæ in famulitium, extractos, sibi apponebat; & quidquid ab aliis rejectum esset, ipse regustabat; si quem verò adipatum, carnosumque bolum, quod non rarò fit, socii reliquissent, illum pauperibus depeculandum, atque exugendum, reservabat; & opiparè secum agi putabat, si eorum tantùm analectorum retractatione reficeretur, quæ ipsa mendicabula fastidirent. Ad hæc, jis fratribus, à quibus in cænatione stipem acceperat, oscu-

lo pedum agebat gratias, ità ut non tam se in cœnaculo videretur reficere, quàm egentissimi mendiculi partes agere. Qui autem fuit sibi semper egentissimus, erat in largiendo, & aliena inopia sublevanda effusissimus; nunquam sibi satis elargiri videbatur, & alias aliis effusionibus cumulabat: corradebat hinc inde ingentem vim auri; & cum humanæ liberalitatis vena deficeret, confugiebat ad superos, à quibus in miserorum subsidium, etiam pecunias impetrabat, easque aliquando tam nitidas, & micantes, ac si tùm primum ex officina prodirent.

Corpori tam inclementer habito, secundùm Deum, aliisque id genus industriis, servatum pudicitię nitorem illimem, ac labis expertem, referebat acceptum. Quod in aula, in milite, pręfervidique ingenii fuit propè miraculo. Nemo domesticorum dum vestes sumeret, poneretque, pedem ejus nudum vidit: in nullam unquam fœminarum, coactus cum jis semper agere

gere, oculos defixit. Neminem ad manuum admisit osculum, si socium demas, & agens animam, magna jam sui parte præmortuus. Cum mulieribus verò non modo cautus, sed inurbanus, agrestis, & ferox. Vitabat etiam cum piis matronis dè rebus divinis miscere colloquia. Quod si ad ea adigeretur, jussu moderatorum, invitus, non modò oculos nunquam attollere humo, verùm etiam quantum urbanitas pateretur, facie aliquantulum loquebatur aversa. Ad aversionem vultus, ut eum assequeretur, & in conspectu haberet, vertebat se matrona, & dignum erat cælo spectaculum, mutuas illas aversiones, conversionesque vultuum cernere, nunquam se consequentium. Cum matronarum rhedas in compitis cerneret, in vicum proximum fugiebat clamitans ad socium: *Inimici hominis*; quod illæ advertentes jusso auriga consequi fugientem, semitarum angustiis rhedas non capientibus

protectus victor elabebatur. Si juberetur prænobilem aliquam, & benemeritam dè Societate decumbentem matronam invisere; tunc enim verò ità torqueri, & angi, & ad tam infimas preces, & lacrymas descendere; ut Moderatores animi ejus angustias miserati, liberum dimitterent; sed ne illæ offenderentur asciscebant illum in socium; quem dolum cùm non posset eludere, ægra nec visa, nec salutata, precibus ad DEVM prò ejus incolumitate fusis, ac si ad templum se contulisset, excedebat. Vnæ eum meretrices, cum quibus tamen degebat nòn sine arbitris, & adducto supercilicio, nō tam experiebantur agrestem, si resipuissent; sin minus & lupæ, quod erant, esse etiam num vellent, leonem experiebantur dilaniantem. Tantus castimoniæ cultor mirum non est, quod in aliis etiam oculorum, verborumque licentiam supercilio ipso compesceret; nec auderet quis eo præsente vel profari liberiùs,

riùs ; vel agere petulantiùs : neque illud mirum quod alienas etiam latentes sordes, & odoraretur sagaciùs, & confidentiùs etiam in Presbytero increparet, ipsoque contactu castimoniam allineret : quod etiam P. Antonino Antinoro contigit ; qui dum in nostro Panormitano Collegio Theologiæ operam daret, post molestissimam duorum mensium luctam cum immundissimo hoste, tandem cælitus ad ALOYSIUM mitti se sensit, qui salutari crucis signo fronti ejus impresso, immundum gregem procul abegit, pugnæ, quam ille nondum aperverat, conscius. Illud non sine admiratione dici potest, quod tam juratus hostis lasciviæ, inter lupanaria degeret, ferè semper, & lupas ; quorum quoniam incidit mentio non omittam id narrare quod ejus pudicitiam illustret egregiè. Pia quadam, ac matura fæmina ALOYSIUS ad extrahendas à cæno turpitudinis meretriculas tanquam manubrio utebatur. Accidit,

cidit, ut, cum de ſuo mercimonio attentiùs agerent, piæ venatricis puellula per ſcalas corruerit, & ad utriuſque pedes tantùm non extincta occiderit. Soluta in muliebres queſtus matre, & pene dolore confecta, Aloysius jacens corpuſculum humo ſublatum, acceptum intra pallium abdidit, contrectabatque non ſecus ac ſuis luxata locis oſſicula redderet: ubi verò ex matris ejulatibus filiolam inclamantis, fœmellam eſſe advertit, velut ignem è ſinu excuteret, filiam matri reddidit nondum incolumem. Dumque hæret dubius præſtet ne ſanitatem tangendo reddere, an contactu fœminei corpuſculi exanimis abſtinere; illa ſubiit cogitatio, poſſe ſe, & morientis incolumitati, & ſcrupulo ſui pudoris conſulere; interjectaque charta ſalubrem illi manum impoſuit, quo facto puella repentè convaluit, duplici prodigio ſanitatis, & honeſtatis.

Verùm bonorum fortunæ facilis jacturà, voluptatis, & illecebrarum levis victoria,

ria; difficilior triumphus dè mente, judicioque alterius arbitrio, nutuique spontè subactis; hunc etiam prioribus ità nexuit ALOYSIUS, ut servitio natus, non ad imperium factus videretur. In quo genere ne longus sim, ubi ille est exspatiatus latissimè, nonnulla perstringam; & quamvis supervacaneum videri cui posset ostendere moderatoribus suis morem gerere illum, qui æqualibus etiam, & vilissimæ plebeculæ se subderet; longè tamen aliud est gravem aliquam afflictationem interdum spontè subire, ac semper ei suscepta obligatione se subdere; cum videamus unciales literas ab iis artificibus graphicè exarari, qui minuto charactere expeditè scribere minimè calleant. Nemo illo fuit obsequentior, nemo vel dicto, vel nutu magis audiens; nihil illi magis curæ, quàm Moderatores suos tanquam DEUM venerari, & DEI loco habere. Chirographum quo summus Societatis Præfectus suas obsi-

obsignat literas, in libello precum tanquam rem sacram servabat; nunquam dè moderatoribus conquestus, nec passus coram se alios conquerentes; cumque semel quemdam audiret dè suo Antistite obloquentem, clausis digito auribus, fugitbat clamitans: *Bone Iesu quid audio? posuerunt in cælum os suum*. Ab eorum ore, & nutu penderbat; jussa non exequi tantùm, sed etiam repræsentare, imperia divinare, ne dum sanctius imperium, potestatemque præcipientem expectare semper studebat. Hinc illud fiebat, non omninò probandum; sed tamen humanum, ut quemadmodum colles, & prærupta à defluentibus vix perluuntur pluviis quæ, tamen in humilibus locis, & vallibus stagnant, & conquiescunt; ità cum parùm morigeri vix arduorum operum, laborumque particula aspergerentur, dura, & laboriosa omnina, in unum Aloysium tanquam in bibulam sitientemque terram spontè

tè confluerent. Obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutis, temporariis juſſis fuit in illo incredibilis; nullam vel tenuiſſimam ſui Ordinis legem ſpontè violavit; à nullo, quod in bono more poſitum eſſet, latum unguem deflexit; non manus, non pedes, non oculos movebat contrà præſcriptum, vetitumque; quod quàm non proclive ſit, & in medio poſitum, is tantum novit, qui noſtrarum legum vim incredibilem percalleat, ad earumque præſcriptum ſub idoneo coactore diutiùs vixerit: nec juſſa tantum celeritèr, hilariterque exequebatur, verùm etiam prompto, hilarique operi intelligentiæ, ac mentis addebat obſequium. Quo parendi modo, quem obedientiam cæcam vocant, Præceptores Aſcetici, nihil altius, nihil divinius excogitari poſſe ſtatuerunt. Hinc erat, ut plurima juſſa exequeretur Antiſtitum; qui, ſi ſuperventura noviſſent adiuncta, à jubendo utique abſtinuiſſent; &, quod fidem omnem vide-

tur excedere, non ſine maximo ſenſu parebat etiam in jis, quæ adverſari Deo quodammodo viderentur. Concionaturus Meſſanæ in ſacro jejunio, monitus à Præpoſito non arridere illi Vrbi concionales ſtrepitus; placere prædicari ſibi Chriſtum Crucifixum, non verò hunc arrepta ejus effigie lignea manibus ſemper obtrudi; meminiſſet ſibi apud cordatos viros rationum magis ... agendum, quàm ſupploſione manuum, & ſacrorum oſtentatione ſignorum, quę ut in vicis, & pagis plurimum valent, ità in magnis Vrbibus frigeſcunt. Aloysius non neſcius, ſe eo anno oleum, & operam perditurum, concionem, & fructum, ſi pareret; quod quantopere Apoſtolicum cruciet concionatorem, nemo eſt qui non videat; parvit tamen, *Paratus*, ut dè Servatore noſtro inquit Auguſtinus, *Perdere omnia, ne perderet obedientiam.* Et jam mutato dicendi genere, aliter, ac ante prò concione

dice-

dicebat. Auditores mirari primò, mox inter se quærere, num is esset LA NVZA? tum sensim diffluentibus omnibus, ad vacua dicebat ALOYSIUS subsellia. Amicus rei novitate attonitus, desertumque cernens, quem alibi præ conferta multitudine resciverat vix potuisse pervadere, & rostra conscendere; percontatus ab ipso est, quid hoc tandem rei esset? cur ità frigesceret? cur tam subito gelu, qui modò ignis erat? cur ALOYSIUM in ALOYSIO quærerent? qui fieri posset, quin religione tam ingentis damni tantę urbis tangeretur? facundum tandem pectus concuteret, & ad se rediret. Cui ALOYSIUS: Abjecit hoc anno DEVS, sic meis poscentibus meritis, meam operam. Tunc ille, quid hoc audio? num plectit DEVS propter te reum insontes? vide ne falso aliquo, atque inani alicujus timore labeculæ, vero te, atque ingenti obstringas crimine, neglecto tantæ Vrbis profectu.

 Fare

Fare si quod est: expediam, si quas tricas, nodosque induisti. Ad hæc Aloysio, volente Deo, excidit; se suggestum conscendere *Ligatum veluti manus, & pedes institis*, præcepto Præpositi, qui jusserat, ut stylum mutaret. Excanduit tunc enim verò amicus; Et, hoc, inquit, illud erat causa mali tanti? & hoc chartaceo monstro Diabolus triumphabit? Falleris Aloysi; reus es tot animorum, ni resipiscas. Næ tu perperam Præpositum intellexisti. Spondeo me erroris tui vadem; & simul ad Præpositum contendens, redit solutis ambagibus: Quare Aloysius ad se rediit, ad Aloysium concio tam frequens, ut præteritam compensaret absentiam.

Magni hoc apud omnes momenti, sed fortasse majoris apud æquos æstimatores quod adnecto. Sacerdos è nostris, qui recens absoluto Romæ studiorum suorum curriculo, Panormum advenerat Domus Professæ Mini-

Minister, facturus periculum, num magnifica illa, & penè incredibilia, quæ dè ALOYSIO fama vulgaverat vero responderent; an volitantia per ora virorum, quod in opinione Sanctitatis accidere consuevit, excrevissent; ALOYSIUM ad Lydium tolerantiæ, obedientiæque lapidem examinare decrevit. Igitur illum in speciem contemnere; idque, quò magis eum ureret, tanta solertia, ut omnino seriò agere videretur: aspicere eum semper cum supercilio: imperiosè præcipere: ejus increpandi, & arguendi ansam opportunè, importunè quærere: denegare ei ad concionandum, vel quid aliud peragendum digressuro socium, aliasque facultates, quæ cæteris omnibus obtruduntur: nulla in re obsequi: nunquam ad voluntatem fluere: idque illi præcipere, à quo eum videret, quàm maximè abhorrere. In triclinio, dum more suo mensas pererrat, jubere hoc comedat, ab illo abstineat, idque non assa, ut fit,

vo-

voce; quo insueto cum veteranis agendi genere, omnium oculi in ALOYSIUM convertebantur; nec illi licebat, vel dum cibum caperet, esse quieto; cum ad ipsius cubiculum accederet ALOYSIUS, non auditus dimittebatur, post horam reversurus; qua, clepsydra teste, transacta hilarior quàm antè redibat; quibus tamen obsequiis ille minimè se flecti demonstrabat: Vno verbo, illa omnia cum ALOYSIO facere, quæ rigidissimus Magister vix ageret cum Tyrunculo, facturus constantiæ ipsius periculum. In quo major virtus expromitur, quàm in perpessione cujusvis durissimi cruciatus. Sic enim sumus, ut viri faciliùs toto pectore latissima excipiamus vulnera, quàm puerorum in morem manum ferulæ, vel ad levissima verbera extendamus. Quare abruptos in medio cursu excursus, in æstu dicendi conciones, in maximis deliciis, preces, ad moderatoris nutum, nihili duco præ hac virili, quam præ se

tulit

tulit puerilitèr habitus, tolerantia; illud Paulinum non ſine laude in rem conferens: *Loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus*, Et dè ſuo addens, *Cum autem vir eſſem, Non evacuavi quæ erant parvuli.*



CAPUT IX.

Aloysii vaticinia.



ALOYSIUS, qui se parvulum existimans, infra omnes ponebat, adeò familiariter est usus DEO, cujus est arcana parvulis revelare; ut ex inexhausto ejus scientiæ penu, depromeret plurima, quibus futura quà adversa, quà prospera præsentiret, atque prædiceret. Nonnulla alibi enarrata vaticinia; hìc ex centenis seligam pauca, quæ tamen rem omninò conficiant. Ad Leontinos quadam in concione: Hesterna vos, inquit, alluvio terruit, sed non omnes; non enim defuere, qui hac nocte cum pellice urbem circumeuntes, *Iram sibi Divinam thesaurizarunt*. Nec longa dies; expectate feriam quintam Sanctioris hebdomadæ. Tunc enim verò videbitis; num

DEUS

DEVS derideri se patiatur: nec plura profatus. Exeuntem jam vaticinii diem nocte intempesta tam terrificæ terræ succussiones excepere; ut nihil tale unquam incolæ meminissent.

OPPIDI cujusdam Vicarium, qui, ne eum concionaturum audiret, aliò commigrarat, per literas invitavit, ut prò munere suo rediens, resideret; id nisi faceret, paratum à DEO, nec longinquum supplicium. Ille furore percitus discerptam, concisamque epistolam pedibus proterens, minitansque se ulturum eos, qui ALOYSIO, & sordes suas nunciassent, & fugam; quanto veriùs, justiùsque sibi minitatus esset ALOYSIUS sensit, in platea pugione penè confossus, & tantùm non mortuus.

DISCEDENS Pintia, ut erat sublimis equo, Antonii Gonzalez signiferi, à quo fuerat è sacro fonte susceptus, domum ingressus, tanti non immemor beneficii, vicinam mortem prædixit;

ad eamque ut se compararet monuit: & consecutus suo tempore obitus paratum ad arduum illud iter invenit.

Obvium sibi in itinere fortuitum adolescentem monuit, mox apud Sacerdotem peccata deponeret: paruit ille, & ad monitorem reversus, audit: Quàm benè tecum actum est; perieras ferro, nisi obtemperasses; distulit tamen Deus cruentam mortem, non abstulit: brevi discedendum, sed non sine Sacramentorum subsidio. Sub Pentecosten vaticinium; sub proximè insequentem sextilem nex, non tamen adeò festinata, quin cælesti dape refectus, & munitus abscederet, & adesset Aloysius morienti.

Hæc scitorum Dei videndorum facultate Aloysium præditum fuisse demonstrant. Illud majorem admirationem meretur. Carolo Chirco post triduum mortem denunciat. Ille totus in universæ vitæ homologesi, dum à Sacerdote distinetur, veritus ne infecta re abiret, per

per confeſſarium conſulit Aloysium, à quo illud oraculum: mortem quidem, uti dixerat, imminere; averti tamen poſſe, ſi polliceretur menſtruam homologeſim inſtituturum. Suſcepit ille libentiſſimè; & triginta jam annos obligatam ſemper fidem explevit.

Non tam proſperi ſucceſſus cum pellice, cui modò reſipiſceret, vel dotem nuptui, vel Gynęceum receptui obtulit. Aſpernata infelix eſt promiſſa, promiſſoremque conviciata, dictitans ſe vivere pro libidine velle; quiſque ſibi conſuleret. Illud tamen à mærente audiit Aloysio: O te miſeram! intra paucos dies, non profecturo conatu tuę te pænitebit audaciæ. Non effluxerat hebdomas, cum icta apoplexia diſperiit.

Sed trucibus exemplis læta miſceamus. Panormi dum ad morientem Sacerdotem juvandum accederet, Artificem ſculpturæ ſuæ incumbentem ad ſe vocat, monetque triduum tantùm illi vitæ reliquum fore. Ille

juſſo valere ſcalpello, totus in ſe rediēs eamdemque, qua injuſta fruebatur uxore legitimo ſibi matrimonio jungens, ex ea ſuſceptam ſobolem legitimam efficit; rebuſque omnibus ritè compoſitis, ſordidę vitæ, quod rarò fit, bonum nactus eſt exitum.

Ingressvs Patris Franciſci Balſami leviſſimè febricitantis cubiculum, intonuit læuum. *Requiem æternam dona ei Domine*: ille, & ſi rideret contemnendam commotiunculam ſæpè depulſam, territus tamen eſt vaticinio; nec falſus eſt, brevi extinctus. Ad P. Franciſcum Sparacinum amiciſſimum ſibi caput literas dedit, quibus ei ultimum vale dicebat. Putavit is mortem imminere Aloysio, & diſceſſurum eum, qui miſſionis prior mentionem injeciſſet: ſic enim ſumus omnes, ut ominoſa facilè exoneremus in alios: ſed brevi intra menſem moriens, vidit illud exitus ſui fuiſſe vaticinium, non amici, valere jubentis, urbanitatem.

Felici Politię quærenti, ecquì valeret filius,

lius, quem Societati dederat: benè habet inquit ALOYSIUS; docebit tres annos grammaticen; tum Theologos audiet, initiatus sacris, mox avolabit; quò, illa excipiente, digitos ALOYSIUS intendit in Cælum; quò Sacerdos novellus, alia in ara facturus commigravit. Velociùs evolavit Faber murarius. Erat is inter multos, dum Domus Professæ atrium excitaretur. Prandentibus jis improvisus adfuit ALOYSIUS; hortabaturque hujusmodi artifices, si qui alii, debere semper esse paratos ad mortem; quippè quibus in editissimis locis degentibus, volatus esset facilior; simul acetum, quod inibi erat digito suo tactum, vertit in vinum; quod omnibus propinatum, primus omnium ebibit is, qui paulo post ex alto præceps ruit, destitutusque sensibus intra duas horas obiit.

MESSANÆ rogatus, ut binis pueris, quadrimulo alteri cæco, alteri phthisi jam tactò incolumitatem impetraret, nil aliud

liud respondit, quam Paradisus! Paradisus! quò brevi animulæ illæ convolarunt. Illud dè cæco adjiciens: DEVM quandoque fenestras citò claudere, quò citiùs noctescat, & dormiant. Cætera omnia, quæ idem sonant vaticinii donum, libens omitto. Duo tamen quæ documenta habent adjuncta, stimulosque ad retundendam licentiam, & testes, duas scilicet principes Siciliæ urbes, præterire non possum.

CÆSAR Caccabensis comœdus circumforaneus nominis non obscuri, conspicatus Hyacinthum Fiorisi veterem amicum, solito, ut sibi videbatur, mæstiorem: næ tu, inquit, recens es à colloquio cum aliquo Iesuita? cui ille: divinasti colloquium. Sed quid inde mali, minimè video. Quid? Cæsar excipit; omne enim verò; nam his in more positum est, ut terriculamentis, atque inanibus terroribus omnia compleant: cum verò viderint pavore perculsos, arbitrio suo ità

fin-

fingunt, & refingunt, ut cogant, quos ipsi insederint, contabescere. Rem tibi narro incredibilem: inambulabam pro foribus Domus Professæ; cum rectà ad me ALOYSIUS LA NVZA magni in Sicilia nominis venit, monuitq; per DEVM abstinerem à comœdia: secus, imminere mihi adeò horrendum lethi genus, & repentinum, ut exemplo ęquè, atque horrori omnibus futurus essem. Duodecim adhuc indultos mihi annos ad pænitendum; quibus dictis, aculeo relicto, mox abiit. Offendit me iterum cum quibusdam Panormitanis colloquentem; & vocato seorsum, eandem cecinit cantilenam; cumque se derideri adverteret, sumpto supercilio, me coram sociis tam acriter increpuit; ut repetitis minis hominis prò sancto habiti consternatus, diu somnum non caperem; & qui aliorum semper risus cum plausu excitaveram, mærore tabescerem. Sed abjecti tandem timores aniles, & Neapolim, Romam, Liburnum, Cispadanam

Gal-

Galliam, universamque Italiam lætus; valensque percurri. Imò Melitæ in vado mortis fui, & evasi. Vnde igitur tantæ Iesuitarum tragædiæ? Quin etiam nunc duodecimus completur annus, intra quod spatium mihi infeliciter moriendum sæpè sinistra prædixit cornix; & nunquam me sensi valentiorem: si sapis igitur exemplo meò abjice mærorem, indulge genio; & accede ad comædiam, quam daturus sum intra paucos dies, fabulam scilicet, licèt minus fabulosam, quàm fuerit vaticinium dè me à La Nvza prolatum. Hyacinthus, valere jusso amico cum suis fabulis, stomachabundus abscessit. Iamque aderat destinatus fabulæ proximus Saturni dies; cum Caccabensis stricto gladio, jam jam proditurus in scenam erat cum rivali, æmuloque in libidine; singulari certamine, mox occidendus; & à personatis in mali Genii speciem sociis detrudendus ad tartara; cum apoplecticus è vesti-

è vestigio cecidit; & moestum inclamans Heu, animam efflauit; exceptusque salta-tricula manibus, & personatorum, qui propè aderant geniorum, nimis ex vero absoluit fabulam; plaudente primùm Theatro, dum putat ad viuum rem exprimi, mox exhorrescente; præsertim ubi innotuit Aloysii vaticinium, quod nonnullis equitibus auritis testibus non erat ignotum.


Nihilo mitius actum est Messanę cum Lupa: cælo pluvio, vergente jam die in vesperum, in D. Galli festinat, rogatque Dominicum Lanza Sacerdotem, ut ad se ducat adolescentulam, quæ uxorio equiti turpibus erat in amoribus. Renuebat Presbyter, repulsæ timidus; confirmatus tamen ab Aloysio, suscipit se ducturum; & renitentem adduxit tandem: humanissimè primo congressu habita ab Aloysio; qui collaudata forma, quà tamen, quippè dono Dei eximio, non abutendum, monet ut ad eum redeat, à

quo tam effrenatè recesserat. Deberi hoc Deo, sed multò magis in eo vitæ, mortisque confinio constitutæ. Injecta mortis mentione, ridebat procax adolescentula: cum Aloysius tot, tamque valida rationum momenta deridentem, affirmantemque, nunquam se meliùs habuisse, ita urgeret, ut memoratus Sacerdos, quem voluit esse sermonum testem, fassus sit, toto se corpore contremvisse; ubi obfirmatam vidit, & à Deo destitutam: Abi, inquit, in malam crucem pestilens carcinoma; ejectamque jis est vocibus prosequutus: Serò te pœnitebit; actum est jam dè te: Fidem fecit eventus oraculo: nam prima ejus noctis vigilia, correpta apoplexia cecidit, tam fædè distortis artubus, & divaricatis cruribus, ut crederent energumenam; atque, ut idem Sacerdos vocatus ad extremam illam luctam non profuturus, affirmabat, in morem Cerberi latrabat, efferatis oculis, quoties spiritum duceret, mox reddendum tartaro, cujus ignibus vivens arserat. Alia

Alia longè plura vaticinia habentur in actis, quæ prætereunda fuerunt mihi, ſcribenti epitomen; epitomen autem voco, non quòd pauca dicam, ſed quòd multa relinquo. Nunc pauca tantum ſeligenda ſuperſunt ex plurimis, quæ Devs, ſeu vivente, ſeu jam è vivis digreſſo Aloysio patravit prodigia, ad ipſius memoriam honeſtandam.


Finis Libri Secundi.





LIBER TERTIUS.

CAPVT I.



Prodigia ab Aloysio patrata dum viveret.




SI postquam Apostolicis Sanctarum excursionum laboribus se totum tradidit ALOYSIUS, eum tanta essent consecuta prodigia; pronum esset asserere, fuisse ea consuetam vitæ Apostolicæ appendicem: cum

cum verò viderimus, tanto ante tempore mira fuiſſe ab illo patrata; fatendum enim verò eſt, eam illi non uno tantùm ex capite contigiſſe virtutem; verùm etiam ad abſolutiſſimæ Sanctimoniæ conteſtationem. Quæ duo Deo propoſita eſſe, cum famulos ſuos ad ea perpetranda euehit, quæ naturæ vires excedunt, concors eſt Doctorum ſententia. Relictis igitur tum jis, quę in loco retulimus, tum quæ fama tantùm incerto auctore vulgavit; raptim poſtremo hoc libro cætera perſequar, quæ idoneis teſtibus ritè exceptis probata reperio.


Dum ultimum Aci concionaretur Aloysius, Petra Contarina Sebaſtianum nepotem geſtans, animam agentem ob ejectamentum purulenti, adeòque atri humoris, ut atramentum crederet; quo eòdem morbo paulò antè morientis jam jam pueri germanus frater occiderat; ſe ſiſtit Aloysio, ejuſque opem matertera infelix implorat: ille miſera-

tus



LIBER TERTIUS.

CAPUT I.



Prodigia ab Aloysio patrata dum viveret.



I postquam Apostolicis Sanctarum excursionum laboribus se totum tradidit Aloysius, eum tanta essent consecuta prodigia; pronum esset asserere, fuisse ea consuetam vitæ Apostolicæ appendicem:

cum

cum verò viderimus, tanto ante tempore mira fuisse ab illo patrata; fatendum enim verò est, eam illi non uno tantùm ex capite contigisse virtutem, verùm etiam ad absolutissimæ Sanctimoniæ contestationem. Quæ duo Deo proposita esse, cùm famulos suos ad ea perpetranda euehit, quæ naturæ vires excedunt, concors est Doctorum sententia. Relictis igitur tum jis, quę in loco retulimus, tum quæ fama tantùm incerto auctore vulgavit; raptim postremo hoc libro cætera persequar, quæ idoneis testibus ritè exceptis probata reperio.

Dvm ultimum Aci concionaretur Aloysius, Petra Contarina Sebastianum nepotem gestans, animam agentem ob ejectamentum purulenti, adeòque atri humoris, ut atramentum crederet; quo eòdem morbo paulò antè morientis jam jam pueri germanus frater occiderat; se sistit Aloysio, ejusque opem matertera infelix implorat: ille misera-

tus

tus mulieris lacrymas, prehenso inter manus languentis capite, & sanctæ crucis tessera obsignato; mox exilienti præ gaudio ægrum incolumem reddit, & ab eodem morbo tutum in posterum.

Ibidem diuturniore quidem curatione, mirabilem sanitatem Anna Leonarda Sororis filio, tres jam menses sinistro oculo capto, ab Aloysio extorsit: huic enim pulsanti fores, opemque petenti, in nepotis pupilla, lumini oculorum suorum, reclusa fenestra, Aloysius: I ad Divi Antonii, inquit; eumque per dies novem conventum, & oratione Dominica, & salutatione Angelica salutatum, cum oleo cæcum inunxeris suę lampadis benevolum experieris, atque beneficum: qua medicina Iatraleptica sæpè eum usum videbimus. Paruit jussis mulier: Annuit Aloysii dictis Antonius; non tamen in nonum diem distulit beneficium; & ut plus daret, quàm spoponderat Aloy-

sius

sius, citiùs promisso dedit, quinto scilicet die.

Adolescenti capto oculo, mente captum Iuvenem adiungamus; quandoquidem in eo curando Aloysius eodem Antonio usus est medico. Percrebuerat jam Aloysii cubiculum Pharmocopolium esse, à quo nullus nisi sanatus abscederet. Accessit igitur ad illud spei plenus Placidus Russus ducens Iosephum Trabiam Generum amentem, eundemque furentem; quem morbum licèt ex insanabilium genere, sperabat ab Aloysio posse depelli; nec falsus animi est; nam Aloysius applicito malè sano capiti sancto capite, ad D. Antonii utrumque dimisit, brevi futurum Socerum voti, Generum mentis compotem; quod septimo die contigit.

Alterum etiam Panormi dè potestate mentis exturbatum panis frustulo reddidit sanitati. Idem Messanæ contigit non minore admiratione, majore compen-

dio,

dio. Ioannulus quidam impos ſui, evaſerat jam fabula Vrbis, infimęque plebis ludibrium, à qua ad fædiſſimas, blaſphemaſque voces adigebatur. In ſacrilegas haſce nugas primùm è ſuggeſtu Aloysius eſt invectus acerrimè; proſcindens tantæ fæditatis incentores, per os fatui virus ſuum urbi inhalantes: tùm miſerculum illum amentem ad ſe vocatum, domi noſtræ exceptum, decimo tandem die rus ſuum dimiſit incolumem.

Sed ad Acim Oppidum redeamus, ubi extructo Calvario res mirabiliores patravit. Imminet Oppido Ætna mons ille quidem nobiliſſimus Siciliæ, ſed malus vicinus, quippè qui ſubinde ignes eructans, prægrandeſque bituminatos voluens lapides, ferventibus fluviis innatantes, oram amæniſſimam ſæpè funditùs perdit, terret ſemper. Hìc dum extruentibus Calvarium imminet Aloysius, in via complananda; importunus ferreus lapis, biſſenos altus palmos, contumax, ferratiſque malleis

leis cædere nescius, opus interturbabat: lapicidæ labori penè immortui, quinis in illo cædendo horis frustrà insumptis, Aloysii opem implorarunt. Ille subridens; terque Crucis signum in lapidem dirigens, In nomine, inquit, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti frangere. Quo dicto, Aloysius abiit, abiitque pariter lapis in pulvisculum.

Hoc cum lapide; quod sequitur cum homine, qui quandoque lapidibus ipsis est durior. Antonio Leonardo aleatori perditissimo, nitenti tamen à ludo emergere, tantam divinitùs abalienationem impetravit ab aleis, ut ipsum nomen exhorresceret; quin etiam, si ludentes aspiceret, cacodęmones in stygiis illis papiris saltantes videbat, tam tetrum odorem exhalantes, ut fugere cogeretur. Sed, quæ mentis humanæ inconstantia est, post annum ad aleas rediens, nec odorem sulphureum amplius hausit; neque malum Genium

vidit in aleis, ſemper quidem ibi latitantem, non ſemper apparentem.

PAVLO Vecchio Molario neglecta aſſula carnem inter, & unguem ſiniſtri indicis intercepta, brachium ità contabuerat, ut poſtremus abſcindendus fuerit articulus, ne totum gangræna abſumeret. Ille dolore amens, ejulanſque noctu per villas errabat. Serpens ulcus dum alia abſciſſione compeſcere Chirurgus meditatur, & Parens miſera, ægris cincta ſororibus, illi ſuadere nititur, ut medico acquieſcat, ſi ſe vivum velit, & matrem, filiaſque incolumes. Ecce tibi ſub ſecundam noctis horam pulſatis foribus eæ diſertæ voces auditæ: Defer Antonia natum ad ALOYSIUM; reddet enim ægro ſanitatem. Paruit monenti Numini mater; vixque illuxit, cum accurrit ad ALOYSIUM, quem totum diem præſtolata, ubi redeuntem è Villis, in quas agricolis concionaturus excurrerat, videt; Succurre, inquit, Pater funditùs perditæ,

ditæ, ac profligatæ familiæ, in unius manu, cujus laboribus victitabat. Flexit Aloysium triſte ſpectaculum, attrectatoque ter putreſcente brachio, non ſine Crucis ſigno, ægrum ire jubet ad D. Antonium, ſuum illum erogandæ ſtipis præfectum, terque affectam partem oleo lampadis illius inungere. Primam unctionem placidus præter morem ſomnus excepit; ad alteram fœdè manus intumuit, quam pungere meditans Chirurgus, ut ſuppurationi viam faceret, ſponte ruptam vidit, ac decidente pure exoneratam. Ad tertiam candidus nerviculus, morbi radix, extans, facilè ſe paſſus eſt extrahi; & Paulus paucos intra dies ſanitati redditus, labori ſe reddidit ad alendam, ſuſtentandamque familiam.

Sed jam è valetudinariis veniamus ad tumulum; & tot viris ſanitati redditis redditum etiam vitæ pupulum adjungamus. Fuit is Io: Franciſcus Foreſta anniculus, qui morbo ſacro laborans, quàm-

vis interdum ab eo relinqueretur brevi temporis intervallo exanimis; semel tamen per tres ipsas horas, intercepto omninò spiritu, omnique calore, arteriarumque motu destitutus, & capite, brachiisque in cadaverum morem contortis, pro mortuo habitus est ab omnibus, & comploratus. Sub tertiam noctis horam, occlusis jam januis, vident ALOYSIUM mixtum familiæ, veluti solaturum superstites; & modò extinctum contrectantem manibus; modò illi Crucis signo benè precantem; modò jubentem ejulantes bono animo esse; pupulum citò excitandum: matre verò respondente, minimè rediturum; firmiùs tamen pollicentem. Post multa, chartacea icuncula infanti applicita, ille velut ex arcto somno evigilans, vagitus edidit; versoque familiæ in ingentem lætitiam luctu, desiit videri ALOYSIUS. Tanta verò fuit prodigii celebritas, ut puer in Vrbe à notis, ignotisque non jam Ioannes Franciscus appellaretur, sed

Mor-

Mortuus redivivus. Visusque est ante sex annos in Aloysii gesta inquirenti etiam tùm incolumis, expers ejus Morbi, qui pharmacis minimè cesserat.

Geminum huic dè redivivo infante prodigium patravit, tot adjunctis vallatum, tot, tamque idoneis munitum testibus; ut sit fusiùs describendum. Maria Caccioppa in Vrbe Corleonensi uterum gerens, ubi inaudiit conjugem fune torquendum, ità inhorruit, ut acerrimis correpta sit partus doloribus; sexto à conceptu mense; quo mense partum minimè futurum vitalem Medicorum Schola pronunciat; & in utero parturientis jam extinctum obstetrix affirmabat. Curritur ad comparandum proficiscenti ad Superos matri viaticum, & prò extrema lucta, & certamine unctionem; & hàc, illac aliis discurrentibus, currit socer morientis ad Aloysium. Actutùm is socium misit, qui confitenti aures daret,

ret : ſed eò loci res erat , ut vix extortis nutibus, deficientem abſolveret. Redit domum cum ſocio ALOYSII ſocer ; eumque rogat enixiùs , ut nurus , fætuſque diſcrimini ſuis precibus conſulat . Suſcipit ille totam noctem ſe ducturum inſomnem , ad averruncandum utriuſque periculum . Quid remotis arbitris, egerit ALOYSIUS , eventus oſtendit . Maria intendentibus ſe ſemper doloribus, concubia nocte ſupra omnem naturæ vim , & præter ſpem omnium, ſi Socerum demas, qui ALOYSII verbis ſuffultus contrà ſpem in ſpem credidit , alioſque benè ſperare jubebat , eſt enixa puellam , ſed rigeſcentem, tanto nigrore ſuffuſam , adeòque deſtitutam motu, ut mortua omnibus videretur ; obſtetrici verò etiam citrà dubitationem ; præſertim ubi diù fotam nihilo ſe melius vidit habere; quare pannis involutam abjecit in angulum, ſepeliendam poſtridiè in agro , quippè quam baptiſmi aquis abluere nequiſſent . Intereà

eà Mater visa sibi pupulam vagientem audire, mittit exploratum num filia viveret: domestici convolant, & frigidiorem, tetrioremque fętum informem quàm antè reliquerant reperientes, ubi semel, iterumque id exploratum est clamante matre, hanc demum vi morbi aberrare crediderunt. Clamat tertiùm mater, visa sibi disertiùs exaudire vagientem; accurrunt omnes, & mirum dictu, stupore, lætitiaque attoniti ridentem puellam inveniunt digitulo labiis admoto non secus, ac aliquid ex illo exugeret. Student omnes certatim fovere, obvoluere calentibus fasciis, & obstetricem accersere; quæ illudi sibi putans, accessit invita; ast ubi hausit oculis: quod minimè crediderat absens, attonita & ipsa spectaculo, lętitiaque exiliens, nulla interposita mora redivivam sacris aquis abluit; ablutæ Mariæ nomen dè nomine matris imponit; benè manè ducit in Templum

pupu-

pupulam, reliquis baptiſmi ritibus expoliendam; reductamque domum, matrique redditam, inter genitricis brachia evolantem ad Superos, mente proſecutus eſt Aloysius, primarum in ea ſcena partium actor, licèt intra proſcenium.

Multa fuerunt, quæ fidem fecere miraculo. Concors domeſticorum ſententia obſtetricis vallata teſtimonio. Tum recens ab utero corpuſculum prò mortuo habitum, adeoque vix ſemitectum, ne crearet horrorem, nocte illa nivali, & in paucis prægelida occumbere debuiſſe; etiam ſi vivens prodiiſſet: Acceſſit ad Matris imperium vagitus ſibi viſæ audire exploratio iterata. Confirmavit has omnes conjecturas, & adminicula, primariorum Medicorum Panormitanorum ritè interrogatorum ſententia, quæ ſtetit contra naturæ vires prò patrato prodigio. Sed nulla major ſuffragatio facto, quàm quæ acceſſit ab Aloysio. Ipſe jis auditis primùm gavi-

gavisus tacitè ex animo, tum pro concione obortis lacrymis totum vulgavit uberrimè, disertissimè appellans miraculum: quod tamen à se in SS. Ignatium, & Xaverium transferebat; quorum icunculam ad se occultandum puerperæ dono dederat. Hac illa deinde usa est ad maturandum aliarum mulierum laborantium partum: constante facilè virtute ad minora patranda, maximo illo omnium jam patrato prodigio; cujusmodi procul dubio est è mortuis excitare: quas voces grandiore sono ipse Aloysius tam sedulus alioqui sui occultator, non est veritus usurpare.

A tumulis ad valetudinaria reditus esset importunus; & mortuis vitæ redditis, alios saluti redditos accersere, ordo præposterus. Verùm ne, vel sanitati restitutorum gratum animum, vel industriorum quęsitorum laborem prætercam; alia etiam cursim perstringamus; & mino-

tis licèt subsellii prodigia adnectamus in coronidem tumulorum, & quandam veluti projecturam coronarum.

Drepani Iacobum Fardellam, tumore ouum æquante orto in capite, jussum oleo Sancti Ignatii inungi, sanitati pristinæ, evanescente tuberculo, reddidit ante unctionem; quippe quam in sui occultationem magis, quàm in ægri pharmacum præscripserat.

Vibone Iosephæ Cottæ sex iam annos ex diuturno morbo reptanti, petentique ab Aloysio stipem; jisdem, quibus olim Petrus, usus verbis: *Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo hoc tibi do*: Vade, inquit, ad Mariam Roccaforte, quæ te reddet Sanitati (fuit hæc Virgo integræ, sanctæque vitæ laude, & Cælestium rerum contemplatione, divinisque favoribus celebris; cujus cadaver in Ecclesia illius nostri Collegii asservatum, aliquot ab obitu annis integrum omninò, atque incorruptum in-

ven-

ventum eſt) Anceps hac reſponſione Ioſepha, repetiit elatiori voce ab Aloysio ſtipem; qui jiſdem omninò verbis iterum reſpondit. Quare illa reptans, ut ſolebat, contulit ſe ad templum; convenit Virginis tumulum; defunctæ perinde ac ſi viveret Aloysii mandata retulit; & ſtupentibus omnibus illicò erecta convalvit. Mox adfuit Aloysius, à quo etiam longiorem veſtem, qua tegeretur, accepit.

Ibidem fæminam ſeſquiannum quartana laborantem reddidit ſanitati. Avolæ à Didaco Medoro Vicario duplicem tertianam. Ruri noſtro in Bagharia à Iuliano dè Stephano S. I. Adiutore luxationem amplexu gemino depulit.

Thermis Leonardum Zangara difficili urina, & hæmoroide laborantem, poſt ſalubria monita ſanum reddidit.

Panormi Ioſephum Serium ex teſtium tumore jacentem ſurgere è cubili juſſit incolumem. Antonium Forteno-

me, & Iulium Castelluccium, utrumque jam conclamatum, precum recitatione excantato veluti morbo, ab interitu vindicavit.

In Parco Rusticum incuruum, invalidumque operi, opem petentem primò depulsum, mox iterum adductum ab Aloysii Socio, ad quem confugerat anteactæ vitæ noxas homologesi expians; aquæ lustralis amulam totam in ægri caput infundens, jussit ad labores redire: eodemque temporis momento jam prævalidus rediisset, nisi imminens nox quietem suasisset.

Apvd Leontinos Antonius Omodei lethaliter febriens, ubi vocem Aloysii audit petentis per compita stipem prò Orphanis; nudus uti jacebat, una tectus subucula, ad eum accurrit; qui Crucifixi, quem manu gerebat, signo dimisit incolumem.

Messanam longiùs accitus ut D. Andreæ Avernæ vitæ consuleret, jussit eum

benè

benè ſperare ; vitæque ejus ſeſe vadem exhibuit : tanti fidem ſponſoris verita mors , ſtatim abſceſſit .

Ennæ D. Mario Petroro rimoſas quotannis è regionis frigore geſtanti manus ſanavit, non amplius rūpendas in poſterum.

Catanæ quadrimulus puer ad ejus ſe genua provolvens dolorem dentium, quo affligebatur , abigeret , rogauit . Riſere alii candidiſſimi pueri innocentiam ; riſit & Aloysius , qui Crucis ſigno incolumem , exilientemque dimiſit .

Vibone etiam in Calabria puer quidam Leo Lucas capitis dolore, comitiali morbo , & ſanguineo è naribus fluxu laborans , puerilibus precibus incolumitatem ab Aloysio , impetravit .

Eodem ſanguinis ſtillicidio Liparæ Pina Vapa laboraverat quindecim dies ; cum juſſa oleo, quod antè divinam arderet Euchariſtiam , nares inungere ; ſtetit ſanguis .

Stetit Liparæ ſtatore Aloysio ſanguis ;

guis; Mascari eodem jubente, eandemque olei unctionem præcipiente, lac è siccis uberibus cujusdam Antoniæ fluxit uberrimè, quo pupulam aleret; tamque irrigua fluxit vena, ut quærendi illi fuerint infantes, qui mammas exonerarent.

IBIDEM præstolabatur ALOYSIUM Anna Barbagallo, quæ cadens, brachium fregerat, inepta proinde labori, quo alebatur. Declinabat ille mulieris conspectum: sed Paulus Grassus Sacerdos, languentis fæminæ levir, rem ità architectatus est; ut fratriam circumfusam mulieribus sisteret ALOYSIO; qui gregi illi fæmineo signo Crucis benè precatus, ægris consuetam inunctionem olei præcepit: qua peracta, ægra intrà biduum omninò convaluit: id verò cum omnes in stuporem adduceret, vir ejus: *Mirum quidem*, inquit: *Sed magis mirarer, si Sanctus hic non patraret miracula*.

CA-

CAPUT. II.

Prodigia ab obitu Aloysii.



IDIMUS Aloysium, dum viveret, elementorum potentem; ſeu cum inter imbres, inundanteſque fluvios ſiccus incederet; ſeu cum ſterilem humum fæcundaret; ſeu cum ad terrendos noxios ſereno Cælo deduceret fulmina: obſequentibuſque ei aëre, terra, aqua, unus videbatur ignis minimè famulatus; qui tamen longè majora obſequia parabat extincto, quàm viventi cætera exhibuiſſent elementa, quippè quæ ejus viventis juſſis parverant; ignis verò defuncti tenuiſſimam umbram inauditis eſt proſequutus prodigiis.

Castri non procul Meſſana Angela Ruys papiraceæ attactu icunculæ, Aloysium referentis, ſibi Panormo miſſæ; ubi

ad

ad Populi fovendam pietatem, & Aloysii desiderium leniendum, fuerat impressa; è lethifero, comploratoque Medicorum judicio morbo repentè convaluit. Hanc illa beneficii memor præteriti, futurorum morborum depultricem semper pectori applicitam gestabat. Semel verò fortè fortuna ad res domesticas surgenti in subiectas, quibus assidebat, prunas icuncula decidit: sensit mulier, amisso amuleto, aliquid cordi suo deesse; quod dum hàc illac cursitans quærit solicita, post quartam tandem horæ partem in igne reperit; quo libentiùs præcordia sua, quàm Aloysii effigiem concrematam voluisset. Verùm dum sanctos cineres legere, parat, & servare, ubi propiùs accedit, illæsam ab igne extrahit icunculam; absumente tantùm igne purioris chartæ reliquias, & à coloribus abstinente. Procidit amens gaudio in genua; petitque festivis lacrymis incuriæ veniam; & Evangelicam imitata fæminam, convocat

cat

cat vicinas; effusisque lætitiæ vocibus, tota penè civitas interfuit prodigio. Et videre erat ignem artificem ità inutilem circumcidisse chartam cuspidibus supernè, & à lateribus subtus extantibus; ut ex ea crucem formasse videretur, cui effigiem Aloysii alligasset: quasi verò ille, vel pictus sine cruce esse non posset. Digressis omnibus stupore defixis, Angela redit ad lacrymas, seipsam detestata; quòd medicum suum tam malè habuisset. Tandem ò Dive, inquit, quem tam mala hospes, & infida igni tradidi; aliò abi fideliùs, honestiùsque tractandus; & discedentem hospitem amplexa, osculataque, Laurentio ab Alexandro Archipresbytero Vicarioque tradidit honorificentiùs custodiendum.

Nec semel Aloysii effigiem veneratus est ignis. Eodem anno gemino prodigio, sed luculentiore, furens ignis rusticus pepercit illius imagini, cui domesti-

cus blandior. ignis antè pepercerat. In pago, cui Palma nomen, Franciscus Calvarus, Ioseph Vecchius cum Iosepho Sacco in campum, vepretis, aliisque noxiis fruticibus ignem admoturi, descenderant, quò ad sementem aptarent novalia: ac primùm undè flaret ventus, qui ferret quò ipsi vellent flammam attentè dispiciunt. Tum senticeto averso, & proinde à vento, incendioque tuto vestes, rusticamque supellectilem imponunt; & flamma excitata, aliò commigrant. Sed quæ vento fides? qui ante secundus flaverat, nunc reflat adversus; & tutam illam recularum suarum stationem corripit; correptamque momento sucendit. Sub meridiem ad senticetum pransuri coloni dum redeunt, incensa omnia reperiunt; & vix locum, in quo sua omnia deposuerant agnoscunt; scrutatique omnia, nec amplius dè jactura dubii; cujus jam fidem rerum suarum reliquiæ quædam faciebant; latrante fame, scruta, pano-

nosasque vestes sibi ereptas, tanquam purpuras lacrymantur: Ioseph Saccus, qui in mantica nummos, & iconem Aloysii inter alias chartas habebat repositam, ad senticetum accurrens, cineresque effodiens, sua omnia prorsus absumpta reperit. Nummi in rude, infectum, denigratumque metallum abierant. Vna Aloysii effigies illæsa, incendii victrix inventa est. Octo spectaculum illud numeravit oculatos testes idoneos, quos in admirationem, venerationemque rapuit. Saccus factus tanto prodigio doctior; supraque rusticum sapiens; ratus celebriori jam ex incendio hospiti suo aptius quærendum hospitium, ad Palmæ ducem accurrit, cum tanto dono muneraturus: ille absumptam igne pecuniam largiori muneravit; atque Aloysii iconem, una cum nummis, quos ignis penè absumpserat inter Sanctorum Reliquias reposuit; factumque totum sanctissimo oculatorum testium jure ju-

rando obſignandum curavit .

Iam verò non miror victos ab ea morbos imaguncula , quæ vicit incendia. D. Honufrius D. Placidi Rizzo S. Annæ Domini filius lethaliter decumbebat , interclusis pituita faucibus ; quo Epidemico morbo Drepani graſſante plurimi perierant. Inflato, & averſanti mammas infantulo jam parabantur inferiæ . Cum commodùm Parens Panormi èo tempore degens , quo tempore ibi Aloysii impreſſæ nuper imagines diſtrahebantur per compita ; emptam pictam paginam illigat epiſtolę, pium ut ipſe putabat piæ uxori munuſculum ; ſed veriùs deficienti filio amuletùm . Nam vix eam ſpei plena parens agenti animam puero apprimit ; cum ille craſſis egeſtis humoribus, morbi ſeminibus, repentè convaluit, incredibili genitricis lætitia , & pueri ſuo tempore gratiſſimo animo; cum natu grandior acceptam vitam referat Aloysio .

Vincentia Planella Panormi ; Antonia

Nun-

Nungrò in Collisano ruptum à suis infantulis attactu icunculę depulere, tanta sanitatis constantia; ut prioris filius è fenestra decidens, ab illo morbo, quo ab ortu tentatus fuerat, immunis evaserit: dum enim agenti jam à casu animam Vincentia parens Aloysii imaginem applicat; & ab interitu vindicavit; & rupti ne vestigium quidem ipsum apparuit.

Hactenus dè Icunculis, quæ umbræ sunt hominis: quid dè vestibus, aliisque, quæ ex Sanctorum attactu nescio quid latenter haurire videntur? sed ne longus sim; percurram potius aliqua, quam narrabo.

Hyccaræ audita Aloysii morte Petra Baldãtia vestis ejus frustulo capiti applicito, quadrimum, quo laborabat dolorem depulit.

Ibidem Catharina Serra decumbentem duos menses virum, precariorum globulorum serto, quo Agathã Gritti Aloysius donaverat, contingens; adeò vegetum reddidit, ut postridiè rusticos labores repetierit.

Salemi Iacobo Vesco tormini-bus

bus laboranti particula indusii ; Ioannæ Alicatensis strumis capilli reddidere salutē ; quos D.Angela Formica Ioannæ parens semel experta salubres, in filia; in atrocissimis partus doloribus adhibuit, tanto proventu, ut ferè non sentiens fætu se exoneraverit, absente obstetrice, quæ discesserat rata partum esse immaturum, dolores vero præteritos non ab appetente partu, sed à Novilunio fuisse excitatos.

Monet me locus, ut quam propitius parturientibus, partuumque sospirator fuerit Aloysius paucis aperiam; longe pluribus relictis, ne pariant ejusdem generis prodigia coacervata fastidium.

Alicatæ Anna Pastorello edendæ proprior animæ, quàm fætui, post trium dierum defectiones, & spasmata, defecta viribus, naturalique virtute, tandem morti concolor nigruit. Vocatur Sacerdos, qui deficientem Divino pane reficiat, adest ille impiger, sed re infecta rediit: quod ubi vulgatum est, omnibus

nibus gemino commotis periculo; prænobilis fæmina pileum clericalem, quo Aloysius utebatur, misit præsenti subsidio; vix hic admotus miseræ est; cum illa elegantulum in lucem infantem edidit; qui quindecim natus dies, matre superstite, & incolumi, ritè ablutus, evolavit ad Superos:

IBIDEM imploratio ALOYSII non tam partui prosperè cessit, quàm matri Mariæ Streuæ; cui, cum ex parturitionis doloribus ipsas viginti quatuor horas frustrà exantlatis certa mors immineret, Franciscus Palatius ejus sobrinus vestis ALOYSII particulam adhibuit: quo contactu extinctum fætum edidit incolumis, raro prodigio; cum mortuum fætum mors Matris consequatur.

PANORMI D. Rosalia Termini inter parturiendi dolores, à Principe S. Annæ, cum qua arctissimis consanguinitatis vinculis jungebatur, jussa Aloysii parientibus præsentissimi opem implorare: contacta e-

jus

jus effigie, primùm acerbissimo, quo se morituram putabat dolore, levatam sensit; tum ad maturandum partum eadem, quæ adstabat Matrona, subuculæ Aloysii fila propinavit in aquæ haustu laboranti; vovitque mater si pareret, partum ex Aloysii nomine denominandum: mox parvulus in lucem Aloysius prodiit.

Iisdem omninò pharmacis Princeps Villæ Francæ parturienti, non sine magno timore, Conjugi felix puerperium impetravit.

Catharina, Rubina, tertium iam diem absque partu parturiens, vix eius imagine tacta, prosperè fudit infantem: quod Iosepham obstetricem in tantam admirationem rapuit; ut immemor aliorum Cęlitum, unam in posterum Aloysii opem imploraret, cum adstabat parturientibus.

Agatha Cristalda infelix admodum experta fuerat semper puerperium. Eam ob rem Natalis appetente partu coniugis, divinam exponi Eucharistiam populo impetraverat; qui ab ea

pros-

proſperitatem partus obtineret. Anno verò ſalutis MDCLIX. cum illam ſegmento veſtis ALOYSII Nuntia quædam contigiſſet, feliciſſimum ei contigit puerperium: ut etiam Annæ La-Ganæ, eo tantum diſcrimine; quòd hæc morti propior, non panno diſcrimen evaſit, ſed pane, qui ALOYSII menſę ſupererat; quo etiam illa reddidit ſanitati equum, & gregem porcorum, ferali lue correptum.

ANGELA Trigona judicio medicorum conclamata, quòd poſt excluſum abortum ſecundas non egereret; quarta tandem die induſii particula tacta, ſecundo uſa remedio ſecundas abjecit, mortemque propulſavit.

COSMAS Moſconus Sacerdos Græcus; admota ALOYSII Epiſtola Onuphriæ uxori, viribus in partu deſtitutæ, proſperum, & doloris omnis expertem partum obtinuit. Felicitatem partus, per ALOYSII Epiſtolam impetratam, epiſtola dè alio felici partu firmet, & caput obſignet; ſcri-

psit hanc ad Socios Aloysii Abbas D. Marcus dè Georgio Archipresbyter Clusii in hunc modum.

REVERENDI PATRES MEI.

POST vestrum discessum placuit Deo, deprecatore magno illo suo famulo Aloysio, prodigium patrare, omnium consequentium temporum memoria dignum. Quinto Kal. Septembris, sub primam noctis horam dum domum rure redirem, audio Margaritam Campesi agere animam; imminentis mortis causam esse partum, fœtumque transuersum, quem in cœcis illis itineribus in viam reponere solius Dei supra naturæ vires operantis esse; certè Medicos, & pharmaca omnia id minimè potuisse. Miseranti mihi geminæ vitæ, & in animula illa etiam æternæ jacturam, venit in mentem frustuli, quod ex Aloysii veste resectum RR.V. mihi dedere; illud

lud minutatim concisum Famulæ tradidi; quæ ad morientem deferret, eique jusculo mixtum propinaret. Illa, hausto salubri poculo, benevalens in lucem edidit infantem; qui sacris ablutus aquis, intra paucas horas evolavit ad Superos. Tantum, tamque evidens prodigium mirum quantum amoris, & venerationis Aloysio conciliaverit; cujus nomen toto in Dei laudem celeberrimum orbe percupio. Valete Patres mei, memoresque famulum vestrum Aloysio commendate. Clusii tertio Idus Sept. 1665.



CAPVT. III.

Alia mira Aloysii ope patrata.


D levandum Lectoris fastidium, una, eademque benè longa prodigiorum via incedentis, intersedimus; eandem nunc repetentes, illud referimus commodi, quòd statione recreemus, quem varietate non possumus. Io: Vecchius difficili, & per biduum nulla urina, inter dolores atrocissimos, interclusa calculo via, usus pulvinari, quod olim ALOYSIO hospiti suo apposuerat, repentè convaluit, ingenti arenularum vi explosa cum calculo; tanto medicorum stupore, ut Sylvius Oliverius Physicus tam præproperam sanitatem in sene præsertim decrepito Superis omninò adscribendam censuerit. Hoc beneficio factus fidentior, cum Panormi ischiadicus

dicus uno pede debilis, penè jaceret immobilis, alteri innixus, ſpe fultus tandem in noſtrum Templum pervenit, unde in ALOYSII Sepulcro volutatus, ſanus abſceſſit.

SALEMI puella bimula Ioſephi Nucci filia, ejulatu maximo dolorem viſcerum quo poterat modo prodebat. Admovent lugenti ALOYSII effigiem, & velut excantato morbo in riſus effuſiſſimos ſolvitur.

D. Margaritæ Cajetanæ filio Xaverio, quem eo nomine Parentes Societati oppigneraverant; & ALOYSIUS dum viveret, extra ſe raptus faſciis involutum, aræ impoſitum, Deiparæque vovens ſuſceperat; mortuus favere non deſtitit: nam pueri lethali morbo correpti ſalutem Mater manifeſtè adſcripſit ALOYSIO; uſa, ubi alia remedia vidit invalida ad curationem, Clericali ALOYSII pileo, quem in divitis Domus gaza aſſervabat; in quo præter omen (dedit

dit enim deinde puer Societati nomen) illud etiam non sine admiratione fuit, quòd æger admoto pileo levaretur, afflictaretur remoto; ut citrà dubitationem orta salus ad ALOYSIUM pertineret.

Hoc tam præclaro, perspicuoque prodigio Nari patrato, alia ibidem patrata occultari se patiantur. Cujusmodi sunt Angela Iubilato, & Antonius Pecora è molestissimis morbis convalescentes uno hausto pharmaco aquæ ALOYSII lipsanis medicatæ. Quo eodem medicaminis genere, vel non longè dissimili; lipsanis scilicèt ALOYSII vel haustis, vel deglutitis, vel gestatis, vel tactis plurimos saluti redditos turmatim recenseamus, morbis tantùm, morbosisque percursis. Matthia Cannava, Philippus Cornabacius, Franciscus Pinnisi, Carminus Bua, Franciscus Bella, Maria Rizza, Agatha Presti, Antonii Patanei quadrimus filius tertiana; Antonia Zappalà molestissima brachii fractione;

Gra-

Gratia Ventura morbo cardiaco ; Maria Rizza , & Gratia Salerna cephalico ; aliique aliis morbis Aloysio ſoſpitatore depulſis , repentè conualuere .

Pavlvs Cannavus jam moriturus Aloysii ſubuculam ſimul & vitam , induit ; libitinariis indumentis , quæ jam parabantur , abjectis.

Catharinam Labruzzam Corilionenſem à Dæmone obſeſſam eſſe non levis conjectura erat ; non dum ſe tamen prodiderat malus genius : ducta Panormum eſt ad D. Mamiliani ſacra lipſana, ad quorum conſpectum mali illi genii ſolent torti torquere quos inſident , miſerabileſque ſtrepitus edere . Tacitus tamen Dæmon , ne cogeretur faceſſere , tormenta cohibuit . Quod tamen non ſuę virtuti , ſed Aloysii gloriæ adſcribendum citò ſenſit infelix : nam cum fæmina Cacodæmonis hoſpita urbem advenarum more luſtrat , princeps Societatis noſtræ Templum adit ; quod ut

ſubiit, è veſtigio conturbata latentis hoſtis deprehendit inſidias. Gauiſa, ibi malè habitare hoſpitem ſuum, ubi ipſa neſciens aſylum repererat, ad Aloysii tumulum rectà contendit. Non tulit nefarius Sacri cineris penetrabilem ignem; fœminamque ſolo afflictam reddit exanimem; ipſe inconditas voces, ejulatuſque ſtygios per jacentis corpus ejaculatus, diuturnam poſt luctam, tandem victus, nunquam rediturus abſceſſit.

Clavdat tot languentium agmen puella cæca, & quæ præ oculorum orbitate aliis via præire non potuit, præeuntes longo ordine languentes ſequatur.

Salemi defluvium acre, pertinax, diuturnumque Catharinæ Antoninæ Lagrutta filiæ oculos invaſit; quos ſeptimo tandem anno ità corrupit, ut lumen omninò ademerit; acceſſit orbitati tam acerbus dolor, & doloris comes mæſtitia; ut ad fletum oculos; caput damnaret ad genua, quibus illud, ſtandi impotens

tan-

tanquam pulvinari ſemper hærebat. Ex quo ſitu ſenſim curveſcens, gibbera tandem evaſit: mater eo perculſa ſpectaculo, nec medicis, nec pharmacis parcebat; quibus fruſtrà tentatis, fortè fortuna incidit in pauperculam, ſtipem corrogantem, ad eamq; faciliùs impetrandam Aloysii laudes cæcorum more canentem. Incidit mens, non factum ſine numine, ut Cæca Aloysium vocaret; monerique ſe, ut ejus opem prò cæca filia imploraret. In ſpem igitur venit Sanitatis, cujus ea ſpes vivida ſolet eſſe præludium; & anili ſimplicitate cum Aloysio non ſecus, ac illum præſentem haberet paciſcitur, ſi intra diem oculis filiæ lumen reddat, filiam ab ſe pulla veſte indutum iri, quali Societati Ieſu addictæ fæminæ uti ſolent. Vix illuxerat; cum accurrit ad Collegium; Rectorem exorat, primùm ut panno, quo conficienda erat tunica bene precetur, tùm ut à prandio natæ oculos ſacris

Aloysii reliquiis dignetur contingere. Vix pransa] cum filia accurrit ad Templum; quod, cum importuno illo tempore clausum offenderet; verita, ne transactis à fœdere inito horis, à pactis Aloysius resiliret, pulsat, clamat, vociferatur, homines, superosque contestatur se pactis stetisse; non tribuendum sibi si statum contractui tempus labatur; & ad proximum Collegio Sanctimonialium Templum se confert; ubi etiam tam largo fletui indulgebat, moræ impatiens; ut Anna Maria Rocca, & Francisca de Blasi spectaculo perculsę singultientem interrogarint, ecquid sibi accidisset? tum illa rem totam aperit: subditque expectare se lipsana Aloysii, ut cum illo contraxerat. Cui Anna: Si nihil aliud deest; confici possunt tabulę; apud me enim est indusii illius particula, quam libentèr elargior: eamque charta tectam demisit; quam illa veluti cælitùs delap-

delapſam arripit, veneratur, exoſculatur; tum utrique pupillæ admovet cæcæ filiæ; quæ ſtatim videre potuit, quantum ſatis erat, ut poſſet ſine duce rectè ad aram pergere, ut Deo gratias redderet, ſuadente id Matre. Hæc jam prę lætitia gemens illigato, implexoque Catharinæ capillis induſii fruſtulo, cum natà domum revertitur, inclamans quaquà tranſit Miraculum. Quibus vocibus gens excitata, dum plauderet; Gaſpar Veſcus periclitaturus, num mulieri tam ſanctè affirmanti prodigium eſſet credendum, percontatur à Catharina, ecquid eſſet illud, quod ipſi erat in manibus? cui illa ſtatim, tale ſcilicet nummorum genus, quamvis aliquot paſſus aberat Gaſpar: Viciniæ voces, gratulationes, gaudia facilè eſt conjicere. Mater inter fletus irriguos illud ingeminabat: Aloysius eam reddidit ſanitati; & adventantibus natæ pupillas oſtendebat. Vbi æſtus ille reſedit accedentium, gratulantium, percontan-

tium, in Catharinæ oculis pars quædam prisci albuminis apparuit. Quod ubi mater advertit, audacter exclamat: Quid hoc est Aloysi? si ità res est: rescindo contractum; nolo partem morbi, nolo vestigium: aut totum, aut nihil; aut redeat cæcitas; aut cæcitatis etiam illud facessat crepusculum. Mirum dictu, stultas illas voces, sed ex præfidenti ortas animo veluti timuisset Alóysius, illud Servatoris nostri visus est repetere: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*; Et protinus evanuere illæ non tam præteriti morbi reliquiæ, quàm futuri prodigii semina. Postridiè mater pulla, uti voverat, veste indutam filiam grati animi ergo ducit ad Asceterium: ubi excepta festivo æris Campani pulsu, Sanctimonialumque concentu, gratias Deo egerunt cantico illo Eucharistico, quod Ambrosio, Augustinoque adscribitur. Et veluti prodigium ex prodigio nasceretur, ut ab oculis cæcitas, sic à dorso gibbus abscessit.

Il-

Illud hìc poſtremò addendum prò coronide, prodigio vaticinium non defuiſſe: nam Salemi Aloysius rogatus ab Antonina, ut cæcitatem à nata depelleret, ne deſperes, inquit; nam citò voti compos eris: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.*



CAPVT. IV. ET VLTIMVM.

Aloysius post obitum visus.



VM Viri Sancti patrant prodigia, sua largiuntur; cum verò videndos se exhibent, se ipsos: gratius proinde donum,& pluris etiam faciendum ad sanctimoniæ contestationem;præsertim cum mira, & visa se se invicem complectuntur, & excipiunt: nec valdè timendæ sunt, aut oculorum, aut mentis præstigiæ, cum vel in quiete, vel vigilantibus nobis ji se se videndos exhibent, quos maximarum virtutum fama evexit ad Sidera; & prodigiorum turba suffulcit. Neutrum autem horum in Aloysio desiderari hactenus luculentèr ostendimus.

Olivam Rogeriam excitatam illucescente die æris campani funebri sono, qui

qui extinctum Aloysium urbi nunciabat, Sanctum virum veneratam iterum amplexus est somnus. Cum ecce visa sibi est videre propè cubile Aloysium, tanta delibutum lætitia, ut licèt se Cælo donatum jam proderet, sciscitata tamen ab illo sit, ubi nam degeret? cui ille: fruor, inquit, jam Deo, quæ eorum, qui ipsi serviunt merces est. Tu verò memineris, esse post fluxam hanc vitam, tum beatas sedes, tum stygias: quo dicto videri desiit; quasi etiam è cælo concionabundus, animorumque venator. Mulier læta viso, dicto hæsit attonita.

Olivæ dormienti, Onuphrio Rizzo vigilanti, videntique apparuit. Fervebant ab Aloysio patrata prodigia; cum miser ille post atroces oculorum dolores captus lumine, ab eo, dè quo tanta inaudiret, opem implorare constituit; & melioris in posterum vitæ proposito, priorisque exhomologesi, particulam vestis Aloysii admovet oculis; quos illi-

cò

cò dolore levatos somnus oppressit. Quem tamen citò Aloysius vehementi impulsione discussit; & videnti, sentientique, Pone, inquit, metum, optimè convalesces. Ille duplici lætus beneficio, & depulsæ molestissimæ cæcitatis, & visi Aloysii, oculis prosequutus est abeuntem.

Quod sequitur viso adiunctum habet prodigium, & vaticinium: Mariæ Magdalenæ la Grua ultimum vale dicens Aloysius, precarium B. Virginis sertum dono dedit, singulis tamen diebus per integrum biennium piè percurrendum. Excepit lætissima mulier sanctum à Sancto viro munusculum; pensumque quotidiè sanctè persolvit. Transacto biennio præceps è scalis, La Grua caput fregit fœdissimo vulnere. Apparuit lethaliter decumbenti Aloysius, eamque reddidit sanitati. Illa arctissimè complexa corollam, obsidem beneficii, & temporis, quo patrandum erat prodigium indicem, nunquam dè manibus posuit. Contigit

ali-

aliquando, ut iter faceret; energumenamque offenderet clamantem, ut rosarium, quo torquebatur abjiceret; illud ipsa valentior ex ejus collo suspendit; excantatumque Psalterio minimè personante malum Genium, victum coëgit abscedere. Habes quadruplex in una narratione prodigium.

Breviora hæc visa; illud diuturninius; breviùs tamen narrandum contrahenti jam vela. Leonardo Mangiò ex fracto omento intestinum ad ovi instar eruperat; consecutus egressionem est vomitus, & gelidus sudor, mortis prodromus. Nihil proficientibus medicamentis, Antonia Mater icunculam Aloysii admovet filio, quem mox somnus corripuit. Hìc illi visus Aloysius, à quo jussus benè sperare, sua ad sanitatem fide obligata, ductus est in amænissimos hortos; ubi inambulantes jucundissimos habuere sermones. Expletis quatuor inambulationis horis, atque colloquii, ex-

pergiſcitur puer; tum viſo recreatus, tum morbo depulſo, præ lætitia geſtiens, exclamat: Sanus ſum, ſanus ſum, ſanitati me reddidit Aloysius. Accurrit Mater, & non modò tuber, ſed veſtigium ipſum vitii evanuiſſe deprehendens, exilientibus præ gaudio domeſticis omnibus, Aloysio ſuo agit amantiſſimas gratias.

Agrigenti Franciſca Iubilaro noctem inſomnem traduxerat inter atrociſſimos dentium dolores, & preces ad Aloysium, ut levaretur dolore; quo ità urgebatur, ut infelix, ne potum quidem niſi per fiſtulam poſſet haurire; ne compreſſis fortè gingivis, ſpaſmate, ut ſibi videbatur, occideret. Admovit dentibus particulam ſubuculæ Aloysii: ſed is ſurdus ad preces fuit, pluſquam rogaretur mox daturus. Semianimem dolore fœminam ſeu ſtupor, ſeu ſomnus oppreſſit. Tunc ei ſe videndum præbuit Aloysius, qualis in ſacris excurſi-

cursibus solebat incedere. Ecquid est inquiens, quod homines, superosque fatiges? sume calentis mellis haustum, cui dentes parumper innatent, & convalesces: abiit ille; ipsa cælestis medici præscriptione usa, repentè convaluit; tanta admiratione viciniæ, cui ex assiduis ejulatibus notus simul, ac molestus erat Franciscæ morbus; ut exinde non alio prò dentibus sint usi remedio, fructu non pœnitendo.

Rosa Rinello Corilionensis tam gravi correpta est angina; ut se triduo crederet morituram; angebaturque non minus quàm morbo, quòd interclusis faucibus sine, sacro viatico cogeretur abscedere. Imploratur Aloysius, ejusque vestis fragmenta sumuntur, sed frustrà omnia: illa dolore amens, repulsæque impatiens, versa in minas: Aloysi, inquit, nisi mihi tam præsens aderis, ut manè des surgere, te sanctum esse minimè credam. Ineptientem

pergiscitur puer; tum viso recreatus, tum morbo depulso, præ lætitia gestiens, exclamat: Sanus sum, sanus sum, sanitati me reddidit Aloysius. Accurrit Mater, & non modò tuber, sed vestigium ipsum vitii evanuisse deprehendens, exilientibus præ gaudio domesticis omnibus, Aloysio suo agit amantissimas gratias.

Agrigenti Francisca Iubilaro noctem insomnem traduxerat inter atrocissimos dentium dolores, & preces ad Aloysium, ut levaretur dolore; quo ità urgebatur, ut infelix, ne potum quidem nisi per fistulam posset haurire; ne compressis fortè gingivis, spasmate, ut sibi videbatur, occideret. Admovit dentibus particulam subuculæ Aloysii: sed is surdus ad preces fuit, plusquam rogaretur mox daturus. Semianimem dolore fœminam seu stupor, seu somnus oppressit. Tunc ei se videndum præbuit Aloysius, qualis in sacris ex-

cursi-

cursibus solebat incedere. Ecquid est inquiens, quod homines, superosque fatiges? sume calentis mellis haustum; cui dentes parumper innatent, & convalesces: abiit ille; ipsa cælestis medici præscriptione usa, repentè convaluit; tanta admiratione viciniæ, cui ex assiduis ejulatibus notus simul, ac molestus erat Franciscæ morbus; ut exinde non alio prò dentibus sint usi remedio, fructu non pœnitendo.

Rosa Rinello Corilionensis tam gravi correpta est angina; ut se triduo crederet morituram; angebaturque non minus quàm morbo, quòd interclusis faucibus sine, sacro viatico cogeretur abscedere. Imploratur Aloysius, ejusque vestis fragmenta sumuntur; sed frustrà omnia: illa dolore amens, repulsæque impatiens, versa in minas: Aloysi, inquit, nisi mihi tam præsens aderis, ut manè des surgere, te sanctum esse minimè credam. Ineptientem

ſomnus corripuit ; in quo viſa ſibi eſt videre eo aſpectu Aloysium , quo concionantem alba in veſte viderat : quo viſo excitata eſt , ruptoque ulcere, & magna vi puris egeſta, illicò guttur detumvit ; mox,depulſo mortis metu,convaluit;eoque pluris in poſterum ęſtimavit Aloysium , quò nocentiori ſibi faverat imploratus .

Videndum etiam in quiete ſe dedit D. Andreę Equiti Meſſanenſi, Eliſabethę Meſſinæ viro ; eumque dè familia percontatus , audit Equitem dè uxoris ſalute eſſe ſollicitum , quartum jam menſem ex luxatione decumbentis : juſſit dè exitu morbi non eſſe ſollicitum ; atque ad Eliſabetham accedens, motum loco pedem Crucis ſigno tangit , & abit . Hìc tum præ gaudio excitatus Andreas, conjugem excitat , & viſum narrat : Eliſabetha ſtrato ſe corripit , factura ſanitatis periculum ; & primò alteri innixa ; tùm ſine fulcro benè progreditur : quod in obæſa fæmina, àtque [illegible] nigreſcente ,

in-

inflataque nuper miserum in modum, non sine vitæ discrimine tibia, vulgò habitum est prò prodigio; uti etiam à Panormitanis Medicis, in eo benè expendendo intentis. Quod verò sequitur, citrà omnem dubitationem narrata hactenùs, longo superat intervallo.

NVPER è vivis excesserat ALOYSIUS; cùm Petrus Cotta è sella quatuor præalta palmos, qualis solet esse puerorum, præceps in terram ruit; cumque forficulas haberet in manibus; eæ, seu adversis teneret naribus, seu casus intulerit; tanto impetu narium per meatus sunt introrsùs adactæ, ut ipso exanimi, & exangui, sanguine solum innataret. Infelix pater, furentium in morem currit ad medicum; mater ad ALOYSIUM, cujus prodigiorum fama gliscebat; & flosculum cum globo precario, quæ illum contigerant nato admovet. Vocatus adfuit ALOYSIUS, visusque puero, candenti insidens nubi, radiosque ejaculans;

quis

quis ipse sit aperit; tactoque vulnere, absolutam numeris omnibus incolumitatem reddit; quare puer in ipso cubili saltus edens, venatoria arma poscit ad fallendas aves: se à *Beato Aloysio* persanatum clamans; quo illum adiuncto semper quoad vixit nominare consuevit in leutaneticis precibus, Deiparæ encomia semper iis vocibus obsignans, *Beate La Nuza ora prò nobis.* Quis fuerit adstantium sensus, stupor, jubilus conjici faciliùs potest, quàm enarrari. Maxima certè medicorum admiratio, qui expenso vulnere, ex cuspidulis, quæ cuncta capitis organa fædissimè læserant, sanctè, disertèque pronunciarunt: Prodigiorum ab Aloysio patratorum hoc maximum extitisse.

Hactenus Aloysius visus ad ferendam opẽ mortalibus in terra descendere; nunc à mortalibus visus in cælo. Palmæ in celebri Parthenone, Mense Martio MDCLXXI. Sanctimoniali N. N. probatæ virtutis, oranti dignatus est Deus ostendere Aloysium, altissimo

ſimo Throno inſidentem; triplici radio ab auguſtiſſima Triade manante ſic circumfuſum; ut ſatur ipſe reliquam ingentem lucem in ſubjectam immenſam turbam throni ſcalis inſidentem, eumque contemplantem, diffunderet. Viſo acceſſit notitia, qua docta eſt, agmen illud confertiſſimum, ex jis confici, quos cælo lucratus fuerat Aloysius, Throno dignus in Cælo, qui imum ſemper locum elegiſſet in terris. Hæc Confeſſarius Sanctimonialis contigiſſe affirmat, dum illa ſe ſe exerceret in commentationibus S. Ignatii; cui dè Aloysii gloria oſtendenda ſollicito, filii gloria, magna ex parte eſt adſcribenda; utriuſque verò gloria Deo Opt. Max. ejuſque ſanctiſſimæ Genitrici Deiparæ.



PRO-

PROTESTATIO
AVCTORIS.

CVM Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Papa Octavus die decima tertia Martii anno MDCXXV. in Sacra Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis Decretum ediderit; idemque confirmaverit die quinta Iulii anno MDCXXXIV. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes; & hactenus impressos nullo modo vúlt censeri approbatos. Idem autem Sanctissimus die quinta Iunii MDCXXXI. ità explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantia, & reverentia, qua par est, insistendo; iterum profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nititur: iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

INDEX

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.



LIBRI SECVNDI

ALOYSII VIRTVTES.



LIBRI TERTII

ALOYSII MIRACVLA:



